This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



600007763T

34.

614.

EPISTOLAE

VIRI CLARISSIMI

DAVIDIS RUHNKENII

AD

DIVERSOS,

EDITAE

A

GUILIELMO LEONARDO MAHNE.

VLISSINGAE
Ex Typographeo Max. Ant. Mahne,
1834.

614.

Interest Literarum, interest studii elegantiarum et stili Latini, ne unam quidem sententiam, accurate conscriptam, intercidere illius omnibus laudati viri, qui inde a renatis bonis studiis unus in paucis eleganter scribendi facultate excelluit.

D. WYTTENBACH.
Bibl. Crit. P. XI. p. 156.

BENEVOLO LECTORI

S.

Tandem ergo prodeunt Ruhnkenii Epistolae ad Diversos, *quarum editionem jam ante hos duos annos quidem promisi, sed quod promissum tamen citius implere non potui. Res enim et tempora subinde hominem vel maxime invitum ac reluctantem adeo constringunt, et constrictum tantâ vi tenent, ut omnino aliter mox agere cogatur, quam initio sibi proposuerit. Sed quandoquidem talia fusius explicare ab hoc loco alienum esse arbitror, nec epistolam ex Ponto potius, quam praefatiunculam, scribere volo, ad alia transeamus.*

Epistolae, quae hoc libello continentur, duplicis omnino generis sunt. Illas, quas Ruhnkenius scripsit ad Heynium, Ritterum, Raphelium, Kulenkampium, Kantium, Rinckium, Schneiderum, Wolfium, Passioneum, Tyrwhittum, Musgravium *et* Vossium, *jam ante me alii ediderunt: contra ea vero, quae datae sunt ad* Wesselingium, Bernardum, Ruardium, Hottingerum, Morellium, Schultensium *et* Bosscham, *illae nunc primum per me ad publicam notitiam perveniunt, uti alio tempore et*

loco exponam. Quia enim in tribus illis Epistolarum Ruhnkenianarum libellis, quos deinceps edidi, haud pauci loci reperiuntur, qui, ut recte intelligantur, aliquâ interpretatione indigeant; operae pretium me facturum arbitror, si quartum *libellum illis tribus jam editis corollarii instar addam, inque eo Animadversiones ad majorem intelligentiam multarum epistolarum necessarias exhibeam, adjectis quibusdam* Ruhnkenii Anecdotis, *illo viro non indignis.*

Interea igitur, dum ille libellus prodierit, denuo valeas, B. L., mihique favere haud desinas.

Scripsi LEIDAE,
d. 30 *Jul.* 1834. G. L. MAHNE.

EPISTOLAE

AD

CHR. GOTTL. HEYNIUM.

600007763T

34.

614.

versatur, humanissime mihi promisit, se, simulatque in patriam rediisset, operam daturum, ut Londinensis codicis exemplum ad me perveniat. Apollonii apparatum recte ad te perlatum esse, gaudeo. Est in bibliothecâ Vratislaviensi, bonis libris refertissima, Apollonii Rh. Codex manuscriptus. Cum Reimarus Dionem Cassium ederet, Burgius Xiphilini Codicem ex eâdem bibliothecâ Hamburgum usque misit. Forte ne nunc quidem Vratislaviae deërunt, qui tibi eandem humanitatem praestent. Marclandi Propertium, vereor, ne frustra exspectemus. Nuper Euripidis Supplices cum elegantissimo ejus Commentario prodierunt; in cujus libri praefatione, a Marclandi amico scripta, vir ille eximius senio et arthritide ita confectus dicitur, ut ne praefationem quidem libri sui scribere potuerit. Quo magis tibi, mi Heyni, seria cogitatio suscipienda est de Propertio edendo, cui, ut alias scripsi, Catullum et Tibullum tuum adjunges. Catulli editionem etiam jactat P. Burmannus Secundus; quam, non est, quod magnopere expetamus. Nam edenda Anthologia Latina satis ostendit, se vulgarium potius notarum consarcinatorem esse, quam Criticum elegantem et sollertem. Memini, me aliquando insignem Catulli apparatum, quo etiam ineditae Broukhusii notae continebantur, apud Dorvillium videre. Verum si ullus poëta Latinus tali operâ, qualem Tibullo navasti, indiget, is certe Statius est, cujus obscuritas doctos etiam homines rejicit ab ejus lectione. Quid? si hunc poëtam observationibus tuis explicatiorem reddas: Critices studiosis deinde aliis in eum notis satisfacias. Dubito,

an quid a te agi possit utilius. Quodsi, quid a nobis agatur, quaeras, toti sumus in castigandis Hesychii literis Φ. Χ. Ψ. Ω. quas Cl. Albertus, morte raptus, absolvere non potuit. Scribimus praeterea animadversiones in Longinum, quas novae, quam parat, editioni adjiciet Joannes Toupius, Criticus excellens in paucis, cujus nuper Londini prodi coeperunt Emendationes in Suidam. Gesneri Orphica quo loco sint, proxime ad me perscribes. Miseram ad virum summum paullo ante fatalem diem Collationes MSS. Orphei, measque in illum observationes, hac additâ lege, ut, quascunque conjecturas ipse probaret, sub meo nomine ederet; ceteras ne commemoraret. Quod ego a Gesnero praestitum arbitror. Sin minus, velim, Cl. Hambergerus legi, quam dixi, obtemperet, aut omnes potius notulas meas omittat. Tibi jam licet coram cum eo agere. Vale, vir praestantissime, meque ama amore illo tuo singulari. Dab. Lugd. Bat. d. 14 Jul. 1763.

HEYNIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Nunquam officiorum, quae amicis debentur, negligentior fui. Sed nunquam justiore uti licuit negligentiae excusatione. Tu quidem, optime Heyni, si diutius, quam par est, ad te scribere distuli, facile mihi veniam dabis, qui experiundo cognovisti, quantopere

animus ab omnibus aliis rebus abhorreat, cum amore et re uxoriâ occupatus districtusque tenetur. Nunc, uxore post longam procationem domum deducta, tibi promitto spondeoque, me in posterum operam daturum, ut literarum assiduitate explearis. Tres a te epistolae, omni suavitate conditae, ad me pervenerunt, e quibus magnâ cum voluptate cognovi, omnia tibi prospere fluere, teque maximi Musagetae, Munchusii, gratiâ florere. Recte etiam ad me perlatus est fasciculus programmatum et orationum, in quibus; dubito, utrum magis admirer exquisitam doctrinam, an genus dicendi masculum, et plane Latinum. De genio seculi Ptolemeorum ita disputas, ut nihil possit fieri elegantius. Sed ubi de Callimacho sententiam dicis, testis non adscribendus erat Lucianus de conscr. hist. §. 57. in quo Piersonus, amor quondam noster, nunc desiderium, bene Antimachum reposuit, ad Herodianum Grammat. p. 440. In commentariis Germanicis notulas in Euripidem, quae Musgravianis subjiciuntur, Hemsterhusio tribuis, quae sunt Thyrwitti, doctissimi Angli, et in reipublicae luce versantis. In Britannicarum bibliothecarum catalogis nullus Apollonii codex memoratur. Sed certiora et exploratiora accipies a Cl. Tayloro, quem, scio, in Apollonio emendando multum operae posuisse. Is etsi nullo literarum commercio mihi jungitur, dabo tamen operam, ut literae tuae recte ad eum Londinum perferantur. In primis tibi auctor sim, ut per literas notitiam contrahas cum Cl. Musgravio, qui cum maxime Parisinas bibliothecas excutit, tuumque adeo studium in

Tzetze edendo adjuvare potest. Multi Parisiis sunt Apollonii codices. Sed non audeo amicis meis ingratum illos conferendi laborem imponere. Verissimum est, quod tibi narravit Jungius, Platonis scholiastem penes me esse. Haec Scholia partim a memet ipso, partim ab eruditis amicis collecta e Codd. Parisinis, Florentinis, Vaticanis, Vindobonensibus, non unius illa quidem auctoris sunt, nec ejusdem aetatis, verum tamen tam reconditae plena eruditionis, ut proxime accedant ad Scholiorum Aristophanis et Apollonii praestantiam, multum praeferenda sint Scholiis Pindari, Sophoclis, Nicandri. Equidem non dubito, quin, si opus videris, miraturus sis, tantum thesaurum tam diu latere potuisse. Fabricius in Bibl. Latin. T. I. pag. 799. scribit, ex Jac. Thomasii Progr. pag. 276. patere, illum diligentem operam impendisse emaculando Rutilio Lupo de Figuris. Qui Thomasii liber si tibi ad manum est, velim mihi illum locum describas, ut, quid Thomasius hoc rhetore praestiterit, existimare possim. Equidem Rutilium propter lectissima veterum oratorum fragmenta, quae conservavit, non modo studiose legi, sed etiam ita emendavi, ut facili negotio novam ejus editionem dare possim. Verum adhuc desidero tum veteres quasdam editiones, tum Codicum MSStorum Variantes. Quodsi bibliothecae vestrae veteres ejus editiones habeant, quae sint, mihi haud gravate indicabis. Vere judicas, mi Heyni, Klotzium excellenti praeditum esse ingenio, quod non conferri debuisset ad futiles libellos scribendos. Equidem hoc ipsi consilium darem, ut per

sexennium in legendis antiquis scriptoribus severâ lege proficiat, et tùm demum doctrinae suae specimen edat. Quâ ratione nulla erit ad Burmanni injurias ulciscendas efficacior. Hemsterhusius ὁ πάνυ, quo vix quisquam de eximiâ eruditione et virtute tuâ magnificentius sentit, plurimam tibi salutem impertit. Mi Heyni optime et amicissime, etiam atque etiam vale. Dab. Lugd. Bat. d. 27 April. 1764.

Literis ad Musgravium inscribas :

A Monsieur,

Monsieur Musgrave, *Docteur en Médecine, rue des Cordeliers, à l'hôtel d'Écosse, à Paris, vis-a-vis la rue de Touraine.*

HEYNIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Accepi literas tuas suavitatis, humanitatis, atque amoris erga me tui plenissimas, quibus te scribis ab Apollonio ad Virgilium edendum revocatum esse. Equidem saepenumero librariis Germanis male praecatus sum, qui, si quem gentis suae virum excellere vident, eum non suo arbitrio agere sinunt, sed precibus aut pretio sibi obnoxium reddunt. Ex quo fieri necesse est, ut aliquando libri prodantur, parum digni auctoribus suis. Gesnerus, ut hoc utar, si Horatium suo potius arbitratu, quam Fritschii, edidisset, quam pulchram ejus et omnibus numeris absolutam editionem haberemus. Nunc tenuis est opera, nec

tanti viri famae respondet. Quid dicam de excudendi libri festinatione? quae tanta fuit, ut integri poëtae versus hic illic elapsi sint. Equidem sic existimo, capitale ingenium tuum par esse Virgilio emaculando, nec operam tuam melius collocari posse. Sed idem satis scio, justum tibi ad tantum rem perficiendam tempus minime concedi. Quodsi paulo longius spatium impetrare possis, auctor tibi sim, ut ex variis Virgilii emendandi viis maxime persequaris eam, quae poëtae medetur ex Lucani, Statii, Valerii Flacci, Silii aliorumque imitatione. Nuper Schraderus in observationum libro salutarem his poëtis medicinam a Virgilio fecit. Tu contra, quae tua est sagacitas, Virgilio facies ex illis. In Gesnerianâ bibliothecâ affertur Anthologia Burmanni cum notis MSS. Gesneri, qui liber sine dubio propter animosos licitatores, Saxium et Burmannum, insano pretio vendetur. Quodsi tibi, mi Heyni, aditus patet ad hanc bibliothecam, quaeso te, notulas illas mihi describas. Dicere non possum, quam gratum mihi feceris.

Evolvi his diebus Harlesii vitas Philologorum, lectisque vitis triumvirorum, Burmanni, Klotzii et Saxii, magnopere laetatus sum, me literis, quibus Harlesius meae etiam vitae historiam petebat, nihil respondisse. Klotzium, video, antiquum, obtinere, et tres quatuorve futiles libellos uno partu effundere. Plura alias ad te scribam. Nunc tempore excludor. Vale, mi optime Heyni, tibique certo persuade, te a me merito tuo mirabiliter amari. Dab. Leidae d. 18. Jul. 1764.

In auctione Gesnerianâ, nisi grave est, libros in schedulâ notatos mihi et collegae meo, Schultensio, emes. Pretium illis a te statuetur. At quibus NB. adscripsi, quovis pretio emi volo.

HEYNIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Non potuit librorum emendorum negotium rectius curari, quam a te curatum est. Sed viam et rationem illorum perferendorum non aliam novi, quam ut primum Bremam, inde Amstelodamum vehantur. Cistulae haec inscribenda sunt : *à Monsieur Gromme et Compagnie, sur le Blommarkt, à Amsterdam.* Proximis literis mercatorem, cui pecunia pro libris solvenda sit, mihi indicabis. Quod scribis, optime Heyni, te tot laboribus destineri, ut vix respirare possis, et tuâ et communium literarum caussâ doleo. Sed vide, ne plus tibimetipse laboris imperes, quam fortasse necesse sit. Pulcherrimum est, fateor, et optimis sententiis plenissimum Elogium Heumanni, quod pro humanitate tuâ mecum communicasti : sed tribus aut quatuor paginis absolvi potuisset. Quodsi singula elogia eodem modo scribere instituas, nihil aliud tibi agendum erit, sed huic uni rei vacandum. Nuper mihi scripsisti, bibliothecam Gottingensem habere Rutilii Lupi editionem, quae Lugduni 1542. 8. prodiit. Hanc, nisi grave est, velim conferas cum

Pithoeanâ, quam in auctione Gesnerianâ emisti, describasque Gryphii, si adjecta est, praefationem. Fortasse importunus videar, qui tibi laboribus oppresso novum laborem delegem. Sed illa collatio vix tres aut quatuor horas gravioribus negotiis eripiet. Plura alias scribam. Nunc mihi argumentum ad scribendum deëst. Vale, vir praestantissime, et me, ut amas, ama. Dab. Lugd. Bat. d. 22 Octobr. 1764.

PRAESTANTISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO

CHR. GOTTL. HEYNIO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Recte ad me perlata est librorum cistula. Non potuit illud negotium melius curari, quam a te curatum est. Bergerianas Dissertationes mihi praereptas nollem. Auctor enim fueram librariis nostris, ut, cunctantibus Germanis, omnes junctim formulis suis exscriberent. Sed hanc jacturam forte resarcire licebit ex bibliothecâ Heumannianâ, cujus catalogum ut ad me perferendum cures, vehementer te rogo. Pecuniam, quae pro libris emtis debetur, nondum ad Cliffordos misi, propterea, quod non dubitabam, te libros nonnullos ex bibliothecâ Wesselingianâ, quae verno tempore distrahetur, esse emturum: quando compensatio, de quâ scribis, fieri poterit. Catalogus illius bibliothecae ut mature ad te perveniat, mihi curae erit.

Elogium Heumanni a te conscriptum magnâ cum voluptate legi, nec magis elegantia orationis, quam prudentia tua, mihi fuit admirationi. Diu frustra quaesivi elogium Gesneri a Michaele scriptum. Forte penes te erit exemplum, quod mihi impertias.

Gesneriana Orphicorum editio multa praeclara habet, et tali ingenio digna. Verum dum vel certissimas Criticorum emendationes admittere, sibi religioni ducit, ad interpretationes labitur duras, aliquando etiam absurdas. Sed haec senectuti, quae semper meticulosa est, condonemus. Vellem, Commentationi de Navigationibus veterum similem adjecisses de Theologiâ Orphicâ, quae Gesnerianae eruditionis lumen multo magis requirebat.

Kulenkampum semel atque iterum Leidae vidi. Sed is, ex praecepto Horatii, materiam viribus aequam sumere debebat. Mihi quidem, ut libere, quod sentio, dicam, nec ingenio, nec doctrinâ par tali operi videtur. Quodsi in Cod. Guelpherb. thesaurum se reperisse putat, fallitur, qui mihi reperit, nisi carbones. Nam, quod ex specimine Codicis a Bielio in Actis Erud. edito vidi, Codex ille non abundat veterum scriptorum fragmentis, sicut editus Etymologus, sed quisquilis Grammaticorum recentioris aetatis. Multo praestantior est Etymologus MS. Leidensis, e quo plura specimina cum maxime prodit Gisbertus Koenius in notis ad Corinthum recondita eruditione refertis. Sed non facile inveniam, qui hujus Codicis conferendi laborem subire aut velit aut possit.

Commode recordor, quod saepe antea ex te quaerere volui, an spes sit, futurum, ut Commentarii

Academiae scientiarum continuentur? Quodsi omnis spes evanuit, tuum erit, Gesnerianas Commentationes, in Academiâ praelectas, in quibus, nescio quomodo, vir summus semet ipsum superat, separatim proferre. Vale, decus nostrum et amor, et ad me quam saepissime, quid vel publicae vel privatae rei agas, scribe. Dab. Leidae d. 21 Febr. 1765.

PRAESTANTISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO

C. G. HEYNIO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Nescio, quid causae sit, cur, qui crebras literas mittere solebas, repente, tanquam nostri oblitus, conticueris. Quidvis potius velim, quam adversa valetudo, tam diuturni silentii caussa sit. Miseram ad te catalogum Bibl. Wesselingianae, sperans, futurum, ut hoc modo literae tuae elicerentur. Sed nullos mihi libros emendos mandasti, quamvis ante inter nos de hâc debiti mei expungendi ratione convenisset. Quodsi recte, ut spero, vales, quamprimum me literarum tuarum suavitate beës, scribasque accurate, quid vel publicae vel privatae rei agas. Ego tandem Hesychium, qui me satis diu exercitum habuit, emisi, et tuum de praefatione nostrâ judicium exspecto. Si quid unquam in scribendo fuimus, hîc fuimus. Nunc otium consumo in Longino ornando. Levior est opera, nec mentione dignâ, quam Mallio

Theodoro impendi : cujus de Metris libellus cum Notis meis et Heusingeri curis secundis cum maxime exscribitur Leidensibus typis. Vellejum Paterculum per vacationes aestivas tot locis emendavi, ut meliorum superioribus omnibus editionem dare possem. Sed ante excutiendae Bibliothecae, si forte scriptus Codex inveniatur. A Graecis scriptoribus ad Latinos emendandos me revocant obtrectatores quidam, imprimis Burmannus Secundus, Graecarum Literarum scientiam mihi libenter concedentes, sed negantes, me similia in Latinis praestare posse. Qui quidem suo malo sentient, me cum Graecis semper conjunxisse Latina. Vale, mi optime Heyni, et sic habeas, nihil te mihi nec carius esse nec suavius. Dab. Leidae a. d. 13. Octobr. 1765.

PRAESTANTISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO

C. G. HEYNIO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Etsi propter occupationes meas rarius, quam vellem, ad te scribo, nullus tamen dies praeterit, quin de te aut cogitem, aut cum amicis eruditis loquar. Quibus omnibus nihil longius videtur, quam dum molestiis, quibus te premi scribis, liberatus, totus verseris in Graeciae Latiique monimentis illustrandis : ad quam rem bene et feliciter gerendam te et

natura finxit, et excellens disciplina formavit. Sed vide, mi suavissime Heyni, an tibimet ipse interdum plus, quam necesse sit, laboris imponas. Pulcherrima sunt et tuorum omnium similia programmata, quibus me donasti : sed, ni fallor, paucioribus poteras defungi, praesertim in enaranda Heumanni et Heilmanni historia, quam accuratius cognosse nec hominum, qui nunc sunt, multum interest, nec posterorum. Nollem etiam, quo loco Heumanni audaciam, cum pari imperitiâ conjunctam, commemoras, Bentleji mentionem fecisses. Aliter sues olent, aliter catuli. Nam ut Heumannus omnium ineptissimus Criticus est, sic Bentlejus felicissimus et elegantissimus omnium, quos unquam cognovi. Aliquando verum esse reperies, quod Hemsterhusius noster, Bentlejo ingenio et doctrinâ simillimus, dicere solebat : Bentlejum multa movere non movenda : sed plerisque locis veteres scriptores, si ita scripsissent, ut Bentlejus legendum decernit, melius fuisse facturos.

Jungium, utrique nostrum subiratum, cum literis, humanissime scriptis, tum munusculis literariis leniendum putavi. Frustra. Ne dignum quidem me existimavit, cui verbum rescriberet. In posterum igitur, si quid chartarum mittere constitueris, velim illud conjicias in fasciculos librorum, qui a bibliopolis vestris quotannis mittuntur ad Luchtmannos. Kulenkampo, a quo literis expugnatus eram, tandem, quid de ejus consilio edendi Etymologi sentirem, libere, ut mea fert consuetudo, scripsi. Mirum, ni post illas literas lectas totum consilium abjiciat.

Felicioribus auspiciis apud nos Graecae literae colunturr. Valckenaerius cum maxime typis describendum dedit Euripidis Hippolytum cum uberrimo Commentario, cui accedunt Diatribae in Euripidis fragmenta. Koenius, post dialectos admirabili sollertiâ illustratas, omne tempus suum collocat in Stobaeo expoliendo. Heringa emendationes parat in Orphica post Gesnerum.

Vale, mi optime et jucundissime Heyni, amoremque tuum mihi conserva. Dab. Leidae. a. d. 25 Dec. 1766.

EXIMIO VIRO

HEYNIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Fasciculus, quem mense Martio ad me miseras, per aliquot menses in viâ haesit, et vix tandem sub Augusti initium ad me pervenit. Quo accepto, tametsi statueram statim tibi gratias agere, tamen molestissima negotia, quibus me per hunc annum magistratus academicus exercet, omne scribendi consilium usque huc peremerunt. Nunc cum paullulum respirare liceat, gratias, quas mens concipere maximas potest, tibi ago pro pulcherrimo Virgilii munere; de quo vere et simpliciter sic judico, non potuisse a te ullam rationem iniri, quâ adolescentum, qui haec studia aemulantur, ingenia rectius

natura finxit, et excellens disciplina formavit. Sed vide, mi suavissime Heyni, an tibimet ipse interdum plus, quam necesse sit, laboris imponas. Pulcherrima sunt et tuorum omnium similia programmata, quibus me donasti : sed, ni fallor, paucioribus poteras defungi, praesertim in enaranda Heumanni et Heilmanni historia, quam accuratius cognosse nec hominum, qui nunc sunt, multum interest, nec posterorum. Nollem etiam, quo loco Heumanni audaciam, cum pari imperitiâ conjunctam, commemoras, Bentleji mentionem fecisses. Aliter sues olent, aliter catuli. Nam ut Heumannus omnium ineptissimus Criticus est, sic Bentlejus felicissimus et elegantissimus omnium, quos unquam cognovi. Aliquando verum esse reperies, quod Hemsterhusius noster, Bentlejo ingenio et doctrinâ simillimus, dicere solebat : Bentlejum multa movere non movenda : sed plerisque locis veteres scriptores, si ita scripsissent, ut Bentlejus legendum decernit, melius fuisse facturos.

Jungium, utrique nostrum subiratum, cum literis, humanissime scriptis, tum munusculis literariis leniendum putavi. Frustra. Ne dignum quidem me existimavit, cui verbum rescriberet. In posterum igitur, si quid chartarum mittere constitueris, velim illud conjicias in fasciculos librorum, qui a bibliopolis vestris quotannis mittuntur ad Luchtmannos. Kulenkampo, a quo literis expugnatus eram, tandem, quid de ejus consilio edendi Etymologi sentirem, libere, ut mea fert consuetudo, scripsi. Mirum, ni post illas literas lectas totum consilium abjiciat.

tum ipse rubibo, et tui, et Apollonii amore invitus. Hunc enim poëtam tum alias ob caussas semper amavi, tum quod mihi adolescenti criticos tirocinium in nullo poëtarum felicius cessit. Quo magis indignatus sum, cum vidissem, conjecturas nostras acerbe et contumeliose reprehendi a Winkelmanno in Epistolâ ad Comitem Bruhlium p. 77. Sit ille, quam velit, idoneus judex signorum, tabularum, gemmarum. Graecarum quidem literarum scientiâ, quam tamen sibi assumere audet, in homine nulla est. Cujus inscitiae specimen habet illa ipsa Epistola p. 80, ubi ita legit in Cod. Herculanensi : φιλόμωμος περὶ κακιῶν, καὶ τῶν ἀνακειμένων ἀρετῶν. Vel puer legendum vidisset : — καὶ τῶν ἀντικειμένων ἀρετῶν. Revertor ad Apollonium. Quod scribis, te Apollonii versionem subinde castigare, noli bonas horas in eâ interpolandâ perdere. Tota abjicienda est, et nova conficienda. Neque te poenitebit, hunc, quamvis molestum, laborem suscepisse. Nam vertendo multas corruptelas, quae omnem suspicionem effugerint, et deprehendes facile, et nullo negotio tolles. Apud veteres Grammaticos supersunt pluscula fragmenta versionis ab Varrone Atacino factae, quae, non dubito, quin dudum ad sedes suas revocaris. In Hemsterhusii bibliothecâ, quam integram sibi servavit dignus parente filius, est Apollonii exemplum, refertum immortalis viri animadversionibus, quae editioni tuae non mediocre ornamentum conciliabunt.

De Tzetzae Codice egi cum Musgravio V. C. qui mihi scripsit, Musei Britannici custodes sibi ejus

natura finxit, et excellens disciplina formavit. Sed vide, mi suavissime Heyni, an tibimet ipse interdum plus, quam necesse sit, laboris imponas. Pulcherrima sunt et tuorum omnium similia programmata, quibus me donasti : sed, ni fallor, paucioribus poteras defungi, praesertim in enaranda Heumanni et Heilmanni historia, quam accuratius cognosse nec hominum, qui nunc sunt, multum interest, nec posterorum. Nollem etiam, quo loco Heumanni audaciam, cum pari imperitiâ conjunctam, commemoras, Bentleji mentionem fecisses. Aliter sues olent, aliter catuli. Nam ut Heumannus omnium ineptissimus Criticus est, sic Bentlejus felicissimus et elegantissimus omnium, quos unquam cognovi. Aliquando verum esse reperies, quod Hemsterhusius noster, Bentlejo ingenio et doctrinâ simillimus, dicere solebat : Bentlejum multa movere non movenda : sed plerisque locis veteres scriptores, si ita scripsissent, ut Bentlejus legendum decernit, melius fuisse facturos.

Jungium, utrique nostrum subiratum, cum literis, humanissime scriptis, tum munusculis literariis leniendum putavi. Frustra. Ne dignum quidem me existimavit, cui verbum rescriberet. In posterum igitur, si quid chartarum mittere constitueris, velim illud conjicias in fasciculos librorum, qui a bibliopolis vestris quotannis mittuntur ad Luchtmannos. Kulenkampo, a quo literis expugnatus eram, tandem, quid de ejus consilio edendi Etymologi sentirem, libere, ut mea fert consuetudo, scripsi. Mirum, ni post illas literas lectas totum consilium abjiciat.

ut jam diu nulla in re libentius acquieverim. Nec minorem mihi voluptatem opuscula, quae adjeceras, attulerunt: quamquam, si, quod sentio, dicere liceat, in talibus scribendis minorem in dies operam a te poni volo. Sunt illa ἀγωνίςματα εἰς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν. Nunc cum summam tibi auctoritatem jam constitueris, sitque mirus omnium in te laudando consensus, major posteritatis, quam civium tuorum, qui nunc sunt, ratio habenda est, κτήματα ἐς ἀεὶ paranda. Unus tu hodie regnas in Latinis poëtis vel interpretandis, vel emendandis. Quin tu tractas difficiliora poëtarum loca, tuo potius, quam aliorum ingenio, obsecutus? Ac poteris per prolusionum occasionem eruditorum de conjecturis tuis judicia explorare, iisque exploratis, pulcherrimum e sparsim editis volumen conficere. Nec, si Munchusius tuus recte intelligit literas, utilius existimare debet, de Zaleuci legibus disserere, quam obscuros Horatii sensus aperire. Sunt hic etiam quidam eodem sensu proceres, qui copiosas *de rebus*, ut vocant, disputationes a me scribi vellent. Αὐτὰρ ἐγὼν βαστεῦμαι ἐμὰν ὑδόν.

Quod tuas in Virgilium notas ad examinis subtilitatem a me vis revocari, ego vero ingenue fateor, me nihil, quod reprehenderem, reperire potuisse. Ac forte ipsa voluptas, quam iis legendis cepi, impedimento fuit, quo minus acute cernerem in peccatis, si qua sunt, tuis.

Eclog. II. 29. in *cervis* explicandis rectius secutus esses Dukerum in notis ad Servium, quam Burmannum.

Eclog. IV. 24. *veneni* non jungendum cum *fallax*, sed cum *herba*; ut Ecl. V. 26. *graminis herba*. Georg. I, 134 *frumenti herba*. Hunc genitivum pro adjectivo positum omnium optime explicuit Oudend. ad Sueton. August. 94. Ejusdem Oudendorpii eruditae in Virgil. observationes sunt ad Sueton. Aug. 91. et in add. p. 1023 quas vide.

Eclog. IV. 60. *risu cognoscere matrem*. Verum sensum dudum viderat Pomponius Sabinus, quem a te nusquam adhibitum miror. Nam multa egregia tradit ex deperditis Virgilii interpretibus, imprimis ex Aproniano, quem frequenter laudat. Solus ille, ni fallor, observavit, versum 12. Aen. III. apud Ennium a Pyrrho dictum esse. Ejusdem praeclara Scholia sunt in Aen. IV. 436. VI. 1. XI. 700. Burmannus Secundus praef. in Virgil. Pomponium in fraudis suspicionem vocat, eodem scilicet judicio, quo ibidem scribit Nigidium Figulum, Romanorum cum Varrone doctissimum, qui per aetatem vix videre potuit Virgilium, Commentarios in hunc poëtam scripsisse. Habeo fere paratam dissertationem *de antiquis Virgilii Commentatoribus*.

Georg. I. 59. *Eliadum palmas*, etc. Nihil duri in hoc loco. Ego sic explico : Epirus mittit equas, victrices equarum in Elide currentium. *Palma* pro victore est apud ipsum Virgil. Aen. V. 339. quem alii non dubitarunt imitari. Vid. Drakenb. ad Sil. XVI, 504.

Ib. 361. Arnaldus Lect. Graec. p. 171 in Arato legit ἢ αἱ ἀλίδινας, etc. Sed verum vidit doctissimus Heringa Observat. cap. 24. p. 202 ἢ εἰν ἀλί δίᾳ.

Ib. 382. Ego quoque *densis* capiam pro dense, crebro, ut apud Aratum πυκνὰ pro πυκνῶς. Ovid. Trist. III. 4. 21. *ut tutas agitarit Daedalus alas* i. e. tuto. Valer. Flacc. VI. 229. *densâ spargens hastilia dextrâ* i. e. dense.

Georg. II. 215. Nollem in hoc loco fluctuasses. Posterior tua ratio verissima, cui interpunctio accommodanda. Centies Graeci φημὶ οὐ, Latini *nego* tribuunt rebus vita carentibus.

Ib. 343. *prosaïco verbo*. Immo *poëtico*.

Ib. 437. Hic oblitus es tirones monere, *undantem buxo Cytorum* poëticâ ratione exquisite dici pro *undantem buxum in Cytoro*. Imitatus est Pacatus Paneg. 37. *aulaeis undantes plateas*.

III. 194. Noli dubitare, quin *vocare* h. l. sit provocare. Vide Callimach. H. in Del. 112. Exempla, quibus explicationem tuam firmas, aliena videntur. Vento opus est ad navigandum et volandum, non item ad currendum.

Ib. 403. Nullum discrimen est inter *tingo* et *tinguo*, tantum orthographia variat. Formatum ex *tanyo*, quod et ipsum exquisite dicitur pro lino.

Ultra nondum mihi licuit progredi in annotationibus tuis legendis. In quibus, vides, quam pauca, quamque levia castiganda putem. Ego librum tuum discipulis meis ita commendare pergo, ut hac editione mox direpta, altera opus sit futurum; cui, auctor sim, subjicias Probi scholia in Eclogas et Georgica, multo doctiora Servianis, et vetustiora, quae Burmannus editione suâ turpiter exclusit. Ego plerisque eorum corruptelis medicinam feci,

non mediocriter adjutus commentariis Pomponii, qui Probum saepe ad verbum descripsit. Ad Aquilam Rom. pag. 147. defendi vulgatam lectionem Aen. I. 135. *Quos ego*. Sed Schraderus pertinax est in tuendo invento suo, *vos ego*. Mihi quidem locus Macrobii VI. 6. p. 559. quo ille maxime nititur, nihil ad rem pertinere videtur. Sed hujus caussae te arbitrum statuo.

Rutilii exemplar, tibi inscriptum, ad Fritschium misi : unde petere possunt librarii vestrates, ad mercatum euntes.

Germanus aliquis mihi narravit, te de Hesychiis nostris honorificam sententiam dixisse. Eam novellarum plagulam alio tempore a te petii. Quod tibi excidisse videtur.

Sed satis diu te tenui. Vale igitur, vir praestantissime, animoque meo carissime, et nos quam primum alterâ Virgilii parte bea, quo munere nullum mihi gratius magisque exspectatum contingere potest. Dab. Leidae a. d. 26. Aug. 1768.

Divinitus a te scriptum puto p. 115. *ex Academicâ nostrâ institutione nunquam Homericum ingenium proditurum*. Dignum argumentum, quod aliquando uberius a te explicetur.

PRAESTANTISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO

C. G. HEYNIO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Quasi omnem nostri memoriam abjecisses, ita a longo tempore nihil ad nos literarum dedisti. Ne monitores quidem illi, quos superiore anno ad te miseram, Rutilius et Elogium Hemsterhusii, te ad pristinam scribendi consuetudinem revocare potuerunt. Sed tu, qui nihil scribis, plus sapis, quam ego, qui literas a te postulo. Rectius enim tempus collocatur in Virgilio ornando, quam in literis, quae nil nisi amoris et benevolentiae significationem habent, scribendis.

Prioris voluminis lectionem nuper absolvi, meque fateor, supra quam dici potest, ingenii et doctrinae tuae elegantia delectatum esse. Scripsi tibi alias, notam tuam p. 6. ab Icto quodam reprehensam esse. Sed ipse reprehensor erravit. Virgilium eodem modo explicat Lipsius ad Taciti Ann. XIV. 42. praeclare docens, servos aliquando suis se nummis e servitute redemisse. Adde Burmann. ad Petron. 75. et ad Ovid. Amor. I. 8. 63.

Georg. II. 500. *volentia rura* e Graecismo eleganter exponit Toupius Emendat. in Suid. T. II. p. 49.

IV. 15. Marclandi venustam conjecturam confirmat ille ipse Ovidii locus, quo Burmannus eam oppugnare conatur. Tu non debebas hic audire Burmannum, qui, ubi adversus Marclandum et Bentlejum disputat, semper invidia coecus ruit.

IV. 209. Non videris omnem vim et elegantiam, quae est in *Fortunâ domus*, sensisse. Vide, quos laudat Oudendorp. in add. ad Sueton. p. 1022.

IV. 235. Delendum nomen *Balduini*. Nam Balduini libri tantum pars sunt Jurispr. Ro. et Att. Kaestneriana vellem Latine vertisses.

IV. 425. Appositum exemplum est Apuleji XI. p. 258. *Augusti portum celerrimi haussimus*, ubi vide Pricaeum.

Ad Aen. VII. 109. Quaeso, examines τραπέζας σελαναίας, in quibus valde sibi placet Cl. Toupius Em. in Suid. T. I. p. 39. Mihi videtur, ut Simonidis dicto utar, τῷ πολλῷ χρόνῳ πολεμεῖν.

Ad Ecl. III. 66. Nullam mentionem fecisti conjecturae meae Epist. Crit. I. p. 35. Eam valde laudat Koehlerus in jejunis Notis ad Theocrit. p. 22. Sed talium judicum sententia in neutram partem apud me valet. Tu, quid sentias, in addendis dices. Vale, vir eximie, et, si quid temporis Virgilius sibi eripi patiatur, illud mihi potissimum imperti. Salutat te Valckenaerius noster. Dab. Leidae a. d. 22 Martii 1769.

Ultimo fasciculo, quem ad te misi, addidi alium ad Cl. Heusingerum, quod non alia dabatur facultas aliquid Guelpherbytum mittendi. Spero, eum recte a te esse curatum.

HEYNIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Amor in me tuus se omni ex parte ostendit. Nam non satis habes, me sic amare, ut concedas nemini, sed aliorum etiam benevolentiam mihi consilias, tanquam Wyttenbachii, juvenis egregii, cujus libellus tale ingenium prodit, ut de futurae doctrinae praestantiâ felix augurium capere liceat. Is nondum Leidam venit, ut constituerat, patre rei familiaris difficultatem excusante. Sperat tamen, futurum, ut sub veris initium se meae et Valckenaerii disciplinae tradat. A Juliano, ad quem forte delatus erat, totum eum traduxi ad scriptorem haud paullo meliorem, Plutarchum, cui castigando, me auctore, magnam vitae partem impendere statuit.

Literas, quas amico ad me perferendas dedisti, intercidisse, tanto gravius doleo, quod, ut scribis, animadversiones quasdam in Rutilium Lupum continebant. De quarum elegantiâ et subtilitate cum vis ingenii tui me dubitare non sinat, damnum, quod feci, proximis literis resarcies.

Dissertatio de populis θαλασσοκρατοῦσι quot quam recondita et abstrusa nobis explicatura sit, ex argumento, quod mecum communicasti, facile perspexi. Sed vide, an, quod negas, *Jonum* nomen unquam generale fuisse, omni ex parte sit verum?

Certe barbari universos Graecos *Iones* appellarunt. Mitto locum Scholiast. Aristoph. ad Acharn. 104. 106. quo Bochartus usus est. Idem nomen sic capiendum in Aeschyli Persis 178. 1030. cujus tamen priore loco Scholiastes male intelligit solos Athenienses. Etiam Hesychius v. Ἰάννα, quod modo diximus, confirmat. Ceterum, quod Ionum nomen Moyse recentius dicis, sequeris vulgi opinionem. Ego in alia omnia eo : sed, quae sentio, per Theologos dicere non licet. Non ante, mihi crede, certam et stabilem chronologiam habebimus, quam sentiendi dicendique libertas magis fuerit confirmata : quae felicitas, ut se principia dant, nepotibus nostris reservata videtur. Dissertationem meam de Virgilii interpretibus mittam tum, cum primum Virgilii tui volumen, quod brevi futurum auguror, sub prelum revocandum erit. Nunc alia instituta habeo, quae differri non possunt. Pergratum mihi est, quod scribis, mi suavissime Heyni, te in Virgilio ornando ita versari, ut tamen Apollonium subinde respicias. Sed multa sunt alia, quae a te, unico poëtarum interprete, perfici vellem. Nunquam Propertium in manus sumo, quin a Musis optem, ut tibi mentem dent illius expoliendi et illustrandi. Ita multis locis haereo, nec me expedire possum. Spes erat, futurum, ut Marclandus commentario, quem paratum habet, ejus tenebras dispellat. Sed μελαγχολικῷ πάθει correptus, non modo omnem praeclare inventorum curam abjecit, sed ne ab aliis quidem, qui edendi laborem sponte obtulerunt, sua vult curari. Klotzius in Actis literariis a me quoque ani-

mum alienum ostendit, non aliâ de causâ, ut puto, quam quod me tibi Ernestoque scit intimum esse. Altera Virgilii editio cum prodierit, detrahas, quaeso, ingenii et doctrinae testimonium, quod certas ob causas homini vanissimo et vix mediocriter erudito tribuisti. Peregrinatores quidam mihi narrarunt, ei vivo videntique funus duci a Lessingio, aliisque. Nempe cum libri Germanici huc non perferantur, talia non nisi ex peregrinantium sermonibus cognoscere licet.

Valckenaerius noster te plurimum salutat. Vale, mi optime Heyni. Me ut ames amore illo tuo singulari, ita cupio, ut nihil magis. Dab. Leidae a. d. 27 Decembr. 1769.

HEYNIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Redeo tandem ad pristinam scribendi consuetudinem, cum aliis rebus, quas commemorare longum est, tum meo meorumque morbo interruptam, gaudeoque, primum, quod occurrit, epistolae argumentum, esse Virgilium; cujus alterum volumen ut primum aequat interpretandi elegantiâ et subtilitate, ita excursibus plenis reconditae doctrinae vincit. Utinam, mi optime Heyni, solutus futilissimis Programmatum et orationum scribendarum curis, uni enarrationi Virgilii, Horatii aut aliorum sive Grae-

corum, sive Latinorum poëtarum vacare posses! Profecto haberemus poëtarum interpretem, cui vix parem viderit aetas superior. Sed vereor, ne in illo pistrino usque molas et maximas spes, quas de te concepimus, ex parte destituas. In secundâ Virgilii parte, ubi a te dissentiam (quod locis perpaucis facio), aliis literis indicabo. Nunc bonâ pace tuâ disputationem de Pisandro ad examen vocabo, in quâ cum te semel impedivisses, longius, ut fit, a vero aberrasti. Pisandro Camiraeo Ἡρακλείαν tribuis, Larandensi Ἡρωϊκὰς θεογαμίας. Quibus tandem argumentis? Laudas opinionis tuae auctorem Suidam, qui errare vix potuerit, cum alterum Pisandrum ab altero accurate discernat. Hic, mi suavissime Heyni, non satis attendisti ad Suidae consuetudinem. Nunquam ille decernit, nunquam suum interponit judicium, satis habet, articulos diversos, sicut eos apud alios Grammaticos invenerat, in Lexicon suum retulisse. Hic, quod ad priorem articulum attinet, incidit in Grammaticum historiae bene peritum: mox posteriorem articulum adjecit ex Grammatico indocto, qui ὁμωνυμίᾳ turpiter deceptus, recentiori Pisandro assignavit, quae veteri tribuere debebat. Sic a Suidâ Lexicon illud compilatum esse, sexcentis locis apparet. Uno ut exemplo defungar, vide v. Θεαίτητος, ubi priore articulo Theaetetum *Atheniensem* fuisse dicit et *Socratis* discipulum, posteriore *Heracleënsem* et *Platonis* discipulum. At nunquam antiquioris poëtae carmen recentiori tributum est. Ne hoc quidem universe verum. Carmen pervetustum, Κύκνος Γάμον, Grammatici quidam ad recentio-

rem poëtam retulerunt. At Athenaeus II. p. 49. B. vindicat antiquissimo poëtae, Hesiodo. Edidit Fabricius B. Gr. Vol. VIII. p. 415. carmen bene longum περὶ καταρχῶν sub *Maximi* nomine. Enim vero aut ego nullum poësis Graecae sensum habeo, aut hoc carmen scriptum est a poëta Alexandrino, Callimachi et Apollonii Rhodii aequali : quâ de re sententiam tuam, qui Alexandrinorum ingenium accuratius, quam quisquam alius, spectaris, cupide exspecto. Mox, nonnulla, dicis, quae ab Apollonii Scholiaste laudantur, non ex Ἡραυλείᾳ, sed ex ἡρωϊκαῖς θεογαμίαις sumta videri. Recte quidem, et me approbante. At hoc si dederis, confecta res est. Jam Scholiastes non Larandensem, sed Camiraeum laudavit. Relege indicem scriptorum, quorum testimonia Scholiastes affert : omnes fere Augusti et Tiberii aetate superiores esse reperies. Ille igitur ut laudaret poëtam recentissimum, qui Alexandri tempore vixit? Mihi ne Lucianum quidem, quamquam antiquiorem Larandensi, laudasse videtur II. 329. sed ejus mentio ab interpolatore intrusa. Quid? Si per aetatem laudare non potuit Larandensem? Mihi quidem illi Scholiastae ante natum hunc Pisandrum vixisse videntur. Sunt in eâdem disputatione etiam alia quaedam, in quibus invitus a te dissentiam. Placet tibi legere Ἡραϊκαὶ θεογαμίαι. Sed ubi reperisti inauditam Graecis formam Ἡραϊκός? Ab Ἥρα non formatur, nisi Ἡραῖος. Immo si carmen de *Junonis nuptiis* egisset, ineptum fuisset addere nomen θεός. Nam ex Junonis nomine satis colligitur, *Deae* nuptias celebrari. Verum non egit de Junonis nuptiis, tantum,

ut Macrobius ait, a Junonis nuptiis incepit. Quid igitur poëta hoc carmine tractavit? nempe Ἡρωϊκὰς θεογαμίας i. e. *heroum nuptias cum deabus*, sicut Hesiodus, quem sibi imitandum sumsit, γυναικῶν κατάλογον scripserat, i. e. *Catalogum mulierum mortalium, quae nupserant Diis*. — Eratosthenis de Pisandro locus cap. 12. non explicandus erat, sed sic emendandus e Phavorini Lexico : ὡς ἔνδοξον περὶ ποιητικὸς ἔργον : id quod vidit juvenis eruditus Koppiersius Obs. philol. p. 110. Nec dicendum erat, Fulgentium in scriptorum nominibus contaminatissimum esse. Nam, ut Jos. Mercerus ad Non. Marcell. aliique post eum notarunt, nebulo iste lectori fucum fecit confingendis nominibus scriptorum, qui nunquam extiterunt. Etymologi quoque locum paullo festinantius inspexisti. Is non laudat Pisandrum, ut vulgarem notionem verbi κεράσαι firmet, sed ut doceat, veteres κέρατι ἀντὶ τοῦ προχόου usos esse ; quod rarum et notatu dignum. Atque hic irascor Academicis istis occupationibus, quae tibi justum meditandi tempus eripuerunt. Quod si habuisses, pro sagacitate tuâ facile vidisses, Πίνδαρος legendum esse, non Πείσανδρος. Ecce! tibi Pindari locum, quo Etymologi glossa pertinet, apud Athenaeum XI. p. 476. *A*. ἐξ ἀργυρέων κεράτων πίνοντες ἐπλάζοντο. Contrario errore peccatum est in Zenobio VI. 49. ὡς φησὶ καὶ Πίνδαρος ὁ ποιητὴς ἐν τοῖς περὶ Ἡρακλέους. Repone Πείσανδρος. Versus, quos respicit Zenobius, conservavit Schol. Aristoph. ad Nub. 1047. ὡς Πείσανδρος.

Τῷ δ' ἐν Θερμοπύλησι θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη
Πάει θερμὰ λοετρὰ παρὰ ῥηγμῖνι θαλάσσης.

Idem error apud Etymologum MS. Bibl. Regiae, qui cum formam ἀὶ pro ἀεὶ Doribus tribuisset, statim addit : ἐπειδὴ καὶ τὸ ἀὲς παρὰ Πεισάνδρῳ, ubi scribendum : παρὰ Πινδάρῳ. quem Dorice scripsisse scimus. Ad Pindarum igitur referenda Hesychii glossa : Ἀέ· ἐπὶ τοῦ ἀεὶ καὶ ἕως. Denique in hac disputatione a te exspectaram judicium de opinione Valckenaerii Diatr. in Eurip. p. 24. quâ nullum discrimen statuit inter Ἡρακλείαν et θεογαμίας. item castigationem puerilis erroris, commissi a Burmanno Secundo ad Valesii Emend. pag. 117. quo Virgilium cum Homero confundens, ex Macrobio docet, Pisandrum Homero antiquiorem fuisse. Sed nimis diu nos tenuit Pisander. De aliis confabulemur. De Catalectorum variantibus, mi Heyni, Burmannum appellabis : nec tibi, quod petis, negaturum puto, praesertim cum illa potuerit Anthologia excludere. Sin forte se difficiliorem praebeat, easdem collationes sumemus a Schraderi humanitate, aut ex Bibliothecâ adeo, quam curo, Leidensi, unde pleraque ducta scio. Schraderus prelo subjecit libros Emendationum, quarum plura capita in Culice et Ciri corrigendis consumuntur.

In praefatione ad Virgilium et alibi tibi excidit vox *aesthetica*, quam belli homines, qui nunc in Germaniâ bellas literas colunt, voluntque Graecis et Romanis, a quibus toto differunt coelo, similes videri, quam igitur illi minus belle finxerunt. Eam Graecam non esse hoc sensu, inde colligas, quod vir in Graecis literis primarius, Valckenaerius, ex me, qui, ut Germanus, scire deberem, quid hoc

vocis esset, quaesivit, et, ubi dixissem, Germanorum ineptias risit.

Klotzius, dudum me clanculum mordens, tandem aperte in me impetum fecit. Urit hominem, meis potissimum consiliis ad saniorem mentem revocatum, et ex isto latronum collegio abstractum esse Herelium, cujus ingenio mirifice faveo. Is aliquot epistolis mecum communicavit conjecturas in Tibullum, Propertium, Juvenalem, Statium et alios, dignos poëtarum Latinorum sospitatoribus, Heinsio, et Heynio. Cum vero aliunde sciam, te alieno ab hoc juvene animo esse, majorem in modum te quaeso atque obtestor, ut, vel meâ caussâ, injuriae, si quam tibi fecit, obliviscaris, eum habeas numero tuorum, confirmesque tuis consiliis in rectâ, quam nunc ingressus est, viâ persequendâ. Facit idem rogatu meo Cl. Ernestus, ejusque opera cum maxime utitur in Ciceronis Codd. Erfurdanis comparandis. Quod scribis, te Meermanno scriptionum tuarum fasciculum ad me perferendum dedisse, negat ille quicquam sibi a te esse commendatum. Jam per tres annos ea, quae Academiae nomine scripsisti, requisivi: nec tamen tibi molestus esse volui, quod librarii spem fecerunt omnium uno volumine complectendorum.

Ex Reiskianâ disciplinâ nuper in tuam transiit Schneiderus, quem, praeter bonas literas, doceas velim modestiam et humanitatem. Nihil a longo tempore vidi, in quo plus sit petulantiae et vix ferendae arrogantiae, quam in ejus ad Anthologiam libello.

Valckenaerius tibi pro pulcherrimo munere Vir-

giliano maximas gratias agit, et te quam officiosissime salutat.

Vale, Heyni humanissime et jucundissime, et huic tam verbosae epistolae haud paucioribus verbis rescribe. Ego in posterum non committam, ut meum scribendi officium requiras. Dab. Leidae a. d. 23. Januar. 1772.

HEYNIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Cum in eo essem, ut tibi pro Virgilio gratias agerem, ecce, alio munere, novâ Epicteti editione, beor. Profecto mihi ipse displiceo, cum tu tam multa, cum summâ nominis tui laude, efficias, ego, forte nimia contra me calumnia, cuncter, nec, quo talem liberalitatem remunerer, in promtu habeam. Interea, dum Vellejus meus, paene totus literarum formulis exscriptus, ad te perfertur, accipe dissertationem de Longino, juvenis cujusdam rogatu a me conscriptam. Alio tempore alia in ipsum Longini textum scripsi, quae diutius, quam vellem, apud Toupium V. C. jactarunt, nunc Londini cum ejusdem Longino excuduntur. De Virgilio tuo, Heyni optime, sic judico, ut librum juventuti priscâ elegantiâ imbuendae utiliorem hoc seculo prodiisse negem. Nec quisquam in disciplinam meam traditur, quin a Virgilio tuo poëtarum legendorum aus-

picium faciat. Quo magis doleo, te Horatii simili modo castigandi et interpretandi consilium abjecisse. Cujus rei quae causa sit, nescio. Certe non arbitror, te ab eo, qui Halae hanc provinciam invasit, detereri. Salgasius, quo discipulo glorior et amico intimo jam a multis annis utor, cum nuper me inviseret, totum te in Apollonio esse, ex tuis literis dixit. Quod etsi mihi gratissimum, sicut debet, accidit, tamen juventutis nostrae causâ Horatium Apollonio praeverti vellem, vel certe cum eo conjungi. Non puto tibi deëssé librarios, qui sumtus facere velint. Sed si quid morae est in Germanis, quibus nunc ferme Latini libri sordent, paratos habes Batavos, inprimis Luchtmannos, quos non commissuros scio, ut te operae in Horatio collocatae poeniteat. Vale, mi suavissime Heyni, et crebrius, quam ab aliquo tempore consuesti, de rebus tuis ad me perscribe. Amicus communis, Valckenaerius te plurimum salvere jubet. Salgasius, etiam postquam muneri suo renuntiavit, summâ regis gratiâ florens, Lausannam abiit, matrem aegrotantem invisurus: inde mense Martio in aulam revertetur, causamque, quam ei mandasti, apud regem accuratissime aget. Dab. Leidae. a. d. 2. Novembr. 1776.

HEYNIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Mitto ad te Vellejum, curâ meâ, quam ante erat, castigatiorem. Qui si te tantâ voluptate, quantâ me Tibullus tuus, affecerit, uberrimum operae illi navatae fructum mihi cepisse videbor. Sed Tibullus tuus vehementius apud nos incendit desiderium Horatii non semel a te promissi. Quas partes si homini idoneo tradidisses, aliquo modo ferendum putarem. Nunc quid exspectari potest ab eo, qui, ut specimen indicat, nihil est, nisi tui simius. Qui si panem quaerit, non Horatium ineptis notis oneret, sed libros e Francicâ in Germanicam linguam vertat. Itaque te iterum rogo, ut consilium, quod olim instituisti, nullâ Jani ratione habitâ, persequaris, praesertim cum unus omnium optime intelligas, citius juventutem Virgilii et Tibulli, quam Horatii, interpretatione carere posse. Sed quid Apollonio fiet? Jam dudum nulla ejus in tuis ad me literis mentio est. Nec tamen puto, te ejus edendi consilium abjecisse. Multa praeclare, imprimis ad scholia, notavit Hemsterhusius, quae, ubi jusseris, tecum communicabo. Brunckius mihi nuper scripsit, se, ut Gallis Apollonii gustum daret, tertium librum Gallice versum edidisse. Ego novam paro editionem epistolarum criticarum, quibus quantivis pretii

Hymnus in Cererem Homeri, an Homeridae, nuper ex Moscoviâ ad me delatus, praemittetur. Hac operâ defunctus, ad Platonica nostra redibo; quae, satius fuerat, ante alia omnia proferri. Sed non semper licet, arbitratu nostro rem gerere. Salgasius noster te plurimum salvere jubet. Is sibi apud nos matrimonio junxit insignem generis splendore divitiisque viduam, ac rationes suas ita instituit, ut alteram anni partem in aulâ Britannicâ, alteram in Bataviâ degat. Valckenaerius tibi pro Tibullo maximas gratias agit, brevi te remuneraturus novâ Theocriti, Bionis et Moschi editione. Vale, mi optime et suavissime Heyni, mihique amorem tuum conserva. Dab. Leidae a. d. 25. Aug. 1778.

Quis iste est collegarum tuorum, qui nuper in Novellis vestris (gelehrte Zeitungen) scripsit: *Germanos gratias agere Deo, quod tandem Tullianâ eloquentiâ liberati sint: neque hoc genus eloquentiae seculo nostro philosophico ferri posse.* Num vobis fustes desunt, quibus asinum tam impudentem coërceatis? Atqui talia sub auspiciis Academiae scientiarum eduntur.

HEYNIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Duplici me nomine literae tuae delectarunt, tum quod pristinum amorem omni ex parte spirabant, tum quod de Apollodoro et Apollonio, quae proxime

optabam, nunciabant. Ad Apollodorum castigandum paucas notulas, a Scaligero et Palmerio libri margini adscriptas, Bibliotheca Leidensis suppeditavit. Schedae Swindenianae quo devenerint, heredes nesciunt. Sed hanc jacturam facile pensabunt tres collationes, quarum tibi copiam facit Wyttenbachius. In Gudiano Catalogo p. 513. memoratur Apollodorus cum duobus Codd. Vaticanis a Gudio collatus, qui, nescio, an per Schurzfleischium in Bibl. Vimariensem migrarit. Vellem tibi tantum otii esset a rebus aliis, ut Scholiastas Graecos cum Apollodoro conferre posses. Nam verissime monuit Swindenus, pleraque mythologica, quae apud illos reperiantur, ex Apollodoro esse derivata. Eundem, quamvis nomine suppresso, saepe etiam descripsit Scholiastes Platonis ineditus, v. c. in Timaeum de columnis Herculis, ubi sic scribitur : ἵστησι μὲν σημεῖα τῆς πορείας ἐπὶ τῶν ὅρων Εὐρώπης καὶ Λιβύης ἀντιστοίχους δύο στήλας. Item in Lib. VII. de Legg. ubi fabulam Antaei narrat : Τοῦτον οὖν ἀράμενος τὸν Ἀνταῖον μετέωρον ἄμμασιν Ἡρακλῆς, κλάσας ἀπέκτεινε· ψαύοντα γὰρ τῆς γῆς, ἰσχυρὸν συνέβαινε γίγνεσθαι, etc. Sed majus, ni fallor, praesidium tibi paratum erit in Eudociae Ἰωνίᾳ, quam cum maxime Venetiis edit Villoisonus, mox daturus Iliadem ab Aristarcho correctam, in cujus praestantiâ laudandâ, quantum ex specimine ad me misso judicare potui, nihil videtur solitae vanitati dedisse. Hymno Homerico, cujus pauca exempla manu quasi emisi, statim accedent duae epistolae criticae, multis partibus locupletiores, quam ante, in quarum primam omnes Emendationes,

ex Codice Moscoviensi ductae, conjicientur. Quâ de re, si tanti putes, harum literarum studiosos in Novellis verbo monebis. Ceterum ego, ad alia properans, multa in Hymno Homerico sagacitati tuae restituenda reliqui.

Gervinus noster mihi legendam dedit elegantissimam dissertationem tuam de Hesiodi Theogoniâ, quam, dicere non possum, quantâ cum voluptate perlegerim. Adeo sensus nostri hâc quoque in re convenient. Nollem tibi p. 182. excidissent verba, *Pamphus poëtriae*. Forte haec scribentis animo obversabatur Pamphila, quae Historiam scripsit, quam Cestinus in Fast. Att. marem fecit. Pamphus quidem poëta fuit.

Per aliquot tempus nobiscum versati sunt quinque Hispani, viri literati, praediti ingenio, et plane amabiles, in quibus nihil eorum, quae vulgo Hispanis exprobrantur, reperias, Comes de Penna Florida, Marchio de Narvos, Angulo, Bicunha, et omnium doctissimus Izquerda. Qui cum in itinere Germanico Gottingam, et praecipuum ejus ornamentum, Heynium, visere constituerint, etiam atque etiam te rogo, ut in eos omnia humanitatis officia conferre velis, confirmoque tibi, te ex humanissimis illorum moribus fructum esse capturum.

Vale, mi suavissime Heyni, et mihi amorem tuum conserva. Dab. Lugduni Batavorum d. 15. Maji 1780.

Tres Collationes, quondam in Swindeni gratiam factae, apud eruditos Parisienses haeserunt. Iis Wyttenbachium nostrum, Parisiis versantem, donavit

eruditissimus Baro de Sainte Croix; sed certiora ipse Wyttenbachius suis ad te litteris tradet.

Notaram in chartâ vacuâ Apollodori mei nomina eorum, qui hunc scriptorem emendarint. Quae huc transferam, ut tuus in quaerendo labor minuatur.

Apollodorum saepe corrigunt Meziriacus ad Ovidium, Wesselingius ad Diodorum, d'Orvillius ad Charitonem, Abresch ad Heschylum. Perizon. ad Aelian. V. H. IV. 5. Bentlejus Epist. ad Mill. p. 19. ad Horat. II. Carm. 19. 23. Muncker ad Ovid. Met. p. 482. ed Burm. Heinsius ad Virgil. Aen. III. 111. Vossius ad Pompon. Melam. p. 591. 750. Spanhem. ad Callim. H. in Pallad. 82. Hemsterhus. ad Lucian. T. I. p. 236. 237. 269. 434. ad Aristoph. Plut. pag. 113. 367. 372. ad Hesych. T. II. p. 980. 1477 (Hanc enim Hemsterhusii esse annotationem, monui ad Longin. p. 146.). Arnaldus de Diis παρέδροις p. 163. 170. Valckenaerius ad Eurip. Phoeniss. p. 628. 733. Diatrib. in Eurip. p. 268. Piersonus Verisim pag. 238. 232. 251. ad Moerid. p. 65. 112. 154. 267. 280. Koenius ad Corinth. p. 34. 71. 235. 244. Oudendorp. ad Thom. M. p. 46. 230. 438. 657. 703. ad Pompon. Mel. p. 992. ad Sueton. p. 38. 398. Duker ad Thucyd. p. 217. Abresch. Diluc. Thucyd. p. 355. Toupius ad Theocrit. Schol. p. 219. Koppiers. Obs. Philol. p. 47. 102. Lennep. Anim. ad Coluth. p. 114. ad Phalarid. p. 20. 179. 219. 257.

Ipse quoque Apollodorum tentavi ad Callimach. Fragm. 247. item Epist. Crit. II. p. 12. quam correctionem postea occupatam reperi a Davisio ad Cicer. de N. D. III. 19.

HEYNIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Mitto tibi, quas periisse putabam, tres Apollodori collationes, unam a Meziriaco, duas a Swindeno factas. Collectanea Swindeniana in Apollodorum mihi non visum est attingere, propterea, quod opera tua non ad commentarium scribendum, sed ad textum castigandum videtur comparata. Habes igitur totum apparatum Swindenianum, tum, quem ipse quaesiverat, tum quem Bozii et Sallierii benevolentia ex Italiâ curarat. Qui cum demum post mortem Swindeni Parisios esset allatus, primum haesit in Bibliothecâ Bozii, post in Baronis de Sainte Croix et Villoisoni, tandem in Wyttenbachii, Parisiis agentis, manus pervenit. Sed hâc de re accuratius ad te scribet Wyttenbachius noster. Nunc hoc unum vehementer a te peto atque contendo, ut Philippo Swindeno, τοῦ μακαρίτου fratri, et patri praestantissimi philosophi Franekerani, qui primarius in foro Hagiensi caussarum patronus est, et in literis nostris minime hospes, maximas pro hoc beneficio gratias agas, neve imitare Clar. Ernestum, cui cum Cornel. Oudendorpius, excellentis doctrinae Theologus, Collationes quasdam per me misisset, is totum hoc beneficium mihi tribuit, nec ullam Oudendorpii mentionem fecit. Quod mihi majorem, quam ipsi Oudendorpio,

attulit molestiam. Apollonii Rhodii editio, quam Brunckius tribus, ut in libris suis gloriatur, mensibus paravit, non te deterrere debet a novâ adornandâ. Nec ingenium homini deëst, nec Graecae linguae scientia, sed deëst justa eruditio, quâ tam docti poëtae interpretem instructum esse oportet. Vale, mi optime Heyni, et amorem tuum mihi conserva. Dab. Leidae a. d. 18. Jun. 1780.

VIRO AMICISSIMO

C. G. HEYNIO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Binas a te literas, quae singularem veteris amoris significationem habebant, a te accepi. Quarum posteriori prius respondebo. Fasciculum Moldenhauero inscriptum ego et Gervinus, sicut jusseras, solvimus, et libellos inde depromtos singulis, quibus destinati erant, distribuimus. Vecturae autem pretium quomodo tibi expensum feram, qui adhuc in aere tuo sim inde ab auctione Gesnerianâ? Apollodorum tametsi a te gratissimum munus habeo, tamen commentarium multo cupidius exspecto. Post hanc castigationem facilis tibi futura est ratio Scholiastae Apolloniani corrigendi. De Apollonii textu bene meritus est Brunckius noster. Sed idem festinanter inspexit principem Edit. Florentinam. Cujus negligentiae non unum specimen in secundâ Epistolarum

Criticarum Editione, quam nunc ad te mitto, notavi. Quibus addere potuissem ex III. 707. περικάμβαλον. Hanc enim formam non solum Hesychius v. κάμβαλον agnoscit, sed etiam Ernestus in quibusdam Homeri libris reperit. Vide ejus praefat. ad Homer. p. 6. Apollonii Codex nondum collatus in Bibliothecâ Vratislaviensi reperitur. Quem, non dubito, quin elegantissimus Schellerus, qui nuper mihi Orphica ejusdem Bibliothecae contulit, libenter sit in tuam gratiam excussurus. Forte operae pretium feceris, si, ut ego Callimachum, sic tu Apollonium cum Nonno compararis. Quamquam ingens taedium devorandum est. Multa ille ex Apollonio manifeste duxit, ut III. p. 90. totum locum de cornice, qui est apud Apollon. III. 931.

Homeri Hymnus, et Epistolarum Crit. retractatio, studium, quod Platonis Scholiastae dicaram, diutius, quam vellem, interpellarunt. Sed in posterum nulla me res facile ab eo divellet. De Arsenii Florilegio, quod Matthaeus ad te Moscâ misit, exspecto, quid statuas. Editum exemplar summae raritatis, quod a Matthaeo adjectum puto, meum est.

Vale, vir eximie, et nunc, Ernesto sublato, unicum literarum in Germaniâ praesidium, et me, ut facis, ama. Dab. Leidae d. 21. Dec. 1782.

PRAESTANTISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO

C. G. HEYNIO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Quantam voluptatem ex Apollodoro tuo ceperim, vix ullis verbis consequi possum. In quo cum acre judicium tuum exquisitamque doctrinam admiror, tum celeritatem in opere sic conficiendo, ut nullum festinationis vestigium appareat. Una tamen res, ne quid dissimulem, me male habet, quod video, te acutissimas quasque animadversiones, quas Scholiastae Apollonii illustrando pararas, in Notas ad Apollodorum transtulisse, et sic nobis spem, quam de novâ Apollonii editione conceperamus, minuisse. Sed hoc quoque feramus, ἀχνύμενοί περ, modo illam doctrinae praestantiam alteri scriptori, sive Graeco, sive Latino, impertias. Ad haec, quid consilii ceperis, exspecto. Ego, animum Platonicorum lectione subinde fessum recreaturus, levius opus curandum sumsi, id est, Mureti opera omnia ad fidem editionum Aldinarum recensere coepi, adspersis notulis, ubi Muretus, quamvis scriptor unus omnium tersissimus, a verâ Latinitatis ratione aberrasse videbatur. Hoc consilium natum est ex offensione, quam mihi novitiorum Criticorum infantia movit. Quibus si Mureti lectionem commendaro, id assequar fortasse, ut, jejunitate istâ repudiatâ, de

rebus Criticis paullo disertius elegantiusque loquantur. Vale, vir eximie, et me, ut amas, ama, Dab. Leidae d. 14 Mart. 1784.

PRAESTANTISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO

C. G. HEYNIO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Cum Luchtmannus junior, vir optimus, mihi significasset, se in itinere Germanico Gottingam etiam lustraturum, ei dedi novam Timaei editionem ad te perferendam, ut dono elegantissimorum opusculorum Academicorum simile donum relatum haberes. Qui si unum mensem differre iter potuisset, tibi simul attulisset Mureti opera quatuor voluminibus conclusa cum brevi annotatione meâ, et Elogium Hemsterhusii cum accessione Epistolae Bentleji ad Hemsterhusium, illi, quam ad Millium scripsit, simillimae. Mureto mandabo, ut te admoneat de novâ Virgilii editione mittendâ : quâ me adhuc carere, utrique nostrûm dedecori est. Nunc totus sum in Scholiis Platonicis castigandis explanandisque, quorum textus jam est impressus. Ea tantisper seposui, dum Timaeum, cujus nova editio a multis, praesertim ab Anglis, expetebatur, retractabam. Ex his omnibus intelliges, studiorum meorum cursum discordiis civium (quae quod ferro

Borussico dijudicatae sunt, non conditionibus sanatae, aeternitatem habiturae videntur) iis igitur diligentiam meam nihil esse interpellatam. Te, video, uno omnium ore ad Homerum recensendum vocari. Quod onus, Dii faciant, ut tibi imponi patiaris. Vale, vir animo meo carissime, et mihi amorem tuum conserva. Dab. Leidae d. 24. Jul. 1789.

HEYNIO SUO

S. P. D.

DAV. RUHNKENIUS.

Quaerunt curatores nostri, quem P. Nieuwlando, Physices Professori, sufficiant. In hac deliberatione, necesse erat, statim iis occurrere collegam tuum, Lichtenbergium. Nolunt tamen literas publicas ante ad eum mittere, quam agnorint, an, translatis Leidam Laribus, *Philosophiam naturalem et Chemiam* docere velit. Annuum ei stipendium, triâ millia Florenorum, decernuntur. Pro sumtibus in itinere faciendis semel mille Floreni solventur. Commoda, e lectionibus privatis et aliunde provenientia, quotannis aequabunt mille Florenos. Te igitur, optime Heyni, rogo quaesoque, ut, nisi grave est, Lichtenbergii animum explores, et quid de his conditionibus sentiat, ad me quam primum perscribas. Alio tempore tecum de literis nostris agam. Nunc curatores me festinare jubent. Vale. Leidae, d. 6. Jul. 1796.

EPISTOLAE

AD

IO. DAN. RITTERUM.

IO. DAN. RITTERO,

AMICO SINGULARI,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Ita tibi, quae optas, velim eveniant, ut mihi, quaecunque tuâ causâ suscepi, hactenus ex voto evenerunt. Rejecti sunt competitores, quorum unus, magni cujusdam Principis commendatione fretus, hanc Professionem jam spe devoraverat. Omnium Curatorum suffragia in te designando conveniunt. Vix tamen sollemnis vocatio ad te mittetur ante primum diem Februarii. Nam nihil fere majoris momenti a Curatoribus agitur, nisi statis conventibus, quorum proximus incidit in diem, quem dixi. Muneris conditiones tibi placere, impense gaudeo; teque adeo nostrum esse, ita laetor, ut, quibus verbis hanc laetitiam exprimam, non inveniam. De emolumentis et immunitatibus quia tibi dubitationem exortam video, age, paulisper ad calculos sedeamus. Ordinarium stipendium est 2000 florenorum. Honorarium, quod ex lectionibus redit privatis, (publicae non habentur) quovis studioso pro quolibet collegio solvente triginta florenos, est 1300 florenorum. Honorarium saepe variat pro numero discipulorum. Reliqui articuli sunt multo certiores. Ex Doctorum promotionibus, quae hic singulis fere hebdomadibus celebrantur, tibi redeunt 1400 floreni. Immunitas

ab omnibus vectigalibus tibi ad minimum valet 300 florenos. Quae omnia simul sumta conficiunt summam quinque mille florenorum. Leviora emolumenta, licet satis multa, et minime contemnenda, praetereo. Hunc autem calculum recte se habere, ipse Weissius mihi boni viri fide confirmavit. Jam ad singulos articulos tuos quam possum brevissime respondebo.

I. Omnia Latinâ linguâ traduntur; in privatissimis tamen collegiis aliquando Gallicâ. Sic Weissius Duci Richemontio Jus Gentium Gallice praeivit. Verum etiam atque etiam a te peto, ut, posthabitis omnibus, aliquid temporis tribuas linguae Gallicae commodius pronunciandae. Hujus enim alterius linguae commercio utare cum Anglis, Gallis, et plerisque Helvetiis, qui, ut Latine intelligant, tamen ne verbum quidem proferre possunt. Praeterea omnes illustrioris loci viri feminaeque apud nos libentius Gallico, quam Belgico sermone, utuntur. Teutonicam linguam plerique Professores propter frequentem cum Germanis usum intelligunt, Procerum non adeo multi. Nullae hîc conciones Teutonicâ linguâ habentur.

II. Jus publicum Germaniae (ad Moscovii ductum) tum demum praelegitur, quando nobilium Germanorum frequentia est. Alias explicatur Ottonis Notitia Rerum publicarum, tamquam Belgis utilior.

III. Ad commune aerarium ne teruncius quidem a te confertur. Nam, ut modo dixi, Academia summam immunitatem habet. Vinum aliis civibus carissimo, tibi vilissimo pretio bibitur.

IV. Aedes vulgo a Professoribus 500 florenis conducuntur: ancillarum opera 60 aut 70 floren. At quando illis emolumentum a studiosis accedit, (ut tuis ancillabus accedet) conducuntur 40 aut 50 flor.

V. Etsi plures pingendi, cantandi et saltandi artifices Leidae reperies, quam Vitembergae, tamen pro viginti lectionibus solvendi sunt octo vel novem floreni.

VI. Professores utuntur simplici vestitu, atro maxime. Universim quo quis illustrior est in hac republicâ, et majore auctoritate pollet, eo simplicior ejus cultus est. At famuli fulgent auro et argento: aedes magnifice instructae: conviviorum apparatus prope regius.

VII. Professorum uxores fere sunt modestae et domisedae. Si qua tamen malit in celebritate versari, spectacula frequentare etc., frui potest ingenio suo. Cultus harum matronarum non est splendidus, sed mundissimus. Nosti fortasse, omnes Batavas feminas munditiem ad insaniam usque amare.

VIII. Filiarum gubernatrice, hîc ducentis florenis conduci solitâ, tibi non opus est propter frequentiam scholarum Gallicarum, in quibus nobiliores virgines cunctis artibus, quae ad vitae elegantiam pertinent, erudiuntur.

IX. Auctor tibi sum, ut aedes tuas loces potius hoc tempore, quam vendas. Pacis tempus exspectandum est, quando melius per procuratorem vendentur. Nec quidquam vendere debes vel bibliothecae tuae vel pretiosioris supellectilis. Nam haec omnia commodissime Hamburgum, inde Amsteloda-

mum, et hinc Leidam per navigia transportari possunt. Haud intelligo, cur de vecturâ sollicitus sis, quam tibi scripsi Curatores liberalissime et ultra id quod petis, esse restituturos.

X. Aedes semper Leidae absque suppellectile locantur. Sed licet suppellectilem separatim conducere. Stragulas, pulvinaria, specula, etc. tecum transportabis. Stannum propter nimium pondus Vitembergae vendendum, praesertim quum parvo cum dispendio novum paretur. Vasa mensalia hîc fere stannea sunt: rarissime porcellanea.

Dabitur tibi titulus Professoris Juris publici et privati, non ut privatim jus doceas, (quod ego sane vellem) sed ut Juris privati Candidatos examinare possis. Ad libros scribendos plus tibi otii futurum est, quam votis fingere audeas. Nam septem tantum menses cum dimidio Academicis lectionibus tribuuntur: reliquum tempus Vacationibus. Majores, quas vocant, Vacationes incipiunt sub finem Junii, et finiuntur die 17 Septembris: quo tempore poteris in vicinam Galliam vel Angliam excurrere, vel revisere Saxones tuos.

Harmenopuli editionem librarius adhuc moratur. Reitzii Theophilus apud nos jacet, et editor ipse propter futiles, quibus paraphrasten oneravit, notas ita exagitatur, ut prope contemtus jaceat.

Memini te aliquando scribere, Trillerum literas a me ad se scriptas jactare: quo mendacio nihil impudentius. Equidem, ex quo aliquid in Graecis literis videre coepi, Trillerum vanum et indoctum agyrtam esse judicavi, nedum ut hominem literis colerem.

Legas, quaeso, praestantissimi Piersoni praefationem Moeridi Atticistae praemissam, ubi Trillerum vapulat mirifice. Vale, decus nostrum et amor. Dabam Lugduni Batavorum d. 12 Jan. 1761.

His scriptis, amicissimus et tui etiam studiosissimus Weissius ad me venit, narrans, se Hagae Comitum ex duobus Curatoribus audivisse, vocationem tuam non ad primum Februarii esse extrahendam, sed extraordinario conventu propediem expediendam. Quâ quidem re nihil nobis optatius contingere posset.

MI SUAVISSIME RITTERE!

Quid tandem causae est, quare nihil binis literis ad te datis respondeas? Multa animum meum subeunt, eumque sollicitum habent. Nam modo pertinax hoc silentium tuum adversae valetudini tribuo: modo literas tuas in his bellicis turbis intercidisse suspicor. Nolim enim existimare, quod multi jam hîc faciunt, te, abjecto migrationis consilio, in Saxoniâ manere malle. Heri mihi redditae sunt literae Cl. Ernesti, quibus communis ille amicus noster deplorat mala tibi Vitembergae toleranda: at de tuâ in Leidensem Academiam vocatione ne γρὺ quidem cognosse videtur: id quod vehementer miratus sum. Quaeso te atque obtestor, quam potest fieri citissime hunc mihi scrupulum eripias. Plura scribere nunc non vacat. At simulatque responsum tuum accepero, verbosam a me epistolam habebis. Vale, mi op-

time Rittere, et ama tuum Ruhnkenium. Lugd. Bat. d. 20 Febr. 1761.

AMICISSIMO VIRO,

IO. DAN. RITTERO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Longissimae causam morae, de quâ quereris, tibi ipse imputare debes. Nam si fidem meam, ut scribis, secutus es, cur non statim vel verbo declarasti, gratam tibi accidisse Illustrium Curatorum electionem, aut cur non aedium conducendarum (quae res summam celeritatem desiderabat) mihi copiam fecisti? Interea cum Amplissimus Van Royen paullo serius Leidam rediret, tuque nihil ad me literarum dares, hoc silentium tuum nonnullis ex Curatoribus suspectum esse coepit. Quid quaeris? Decreverunt Curatores, ut publicae vocationis tabulae ad te ante ne mitterentur, quam Secretarius ex tuis literis ad me scriptis perspexisset, te in consilio, quod prioribus literis significasses, perstare. Sic res silentio tuo ad hoc usque tempus extracta est. Publicarum tabularum duplex exemplum scribendum putavimus, ut si alterum per cursorem, quem vocant, publicum ad te missum, forte in viâ periret, alterum certe, quod ad legatum Batavum Verelstium Berolinum missum est, ad te perveniret. Acceptis tabulis, non ad ipsos Curatores, sed ad Amplissimum Van

Royen breves tibi literae exarandae sunt, quibus gratum animum et obsequium Curatoribus debitum testeris. Cum nullus his diebus Curatorum conventus habitus fuerit, neo de auro tibi mittendo ad illos referri potuit. Sed, si ipse Lipsiam proficiscaris, aurum mutuum sumere poteris ab Amstelodamensibus mercatoribus, ad mercatum Lipsiensem profectis, (*Florus Crol und Compagnie, Rauchhandelare*) quos eâ de re certiores fecimus. Interea cogitationem suscipias orationis statim post adventum tuum publice habendae. Quodsi me audiendum putes, tibi auctor sum, ut ex jure gentium potius, quam ex jure Germanico, materiam deligas, quae popularitate suavitateque suâ omnium auditorum animos teneat. Vix credas, Politici nostri quantopere contemnant totum illud jus publicum Germaniae, rempublicam Polonicam vocantes Germaniam, cujus leges cum vindice careant, vanae ac ridiculae sint censendae: nec leges imperii tantum a potentioribus principibus, ut nunc a Borusso, sed ab ipso etiam Imperatore, qui illarum vindex esse debebat, quotidie conculcari. Multum tua interest, te, ruptis omnibus moris, statim ad nos commigrare. Nam honorarium ex eo demum die, quo orationem solemniter habuisti, solvi incipit. De aedibus conducendis, aliisve rebus, proximis literis ad me copiose scribes. Vale, mi optime Rittere. Dabam Leidae d. 16 Mart. 1761.

CARISSIMO RITTERO SUO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Languens ex febri quartanâ tam copiose, quam vellem, literis tuis respondere non possum, sed strictim tantum singula quaesitorum tuorum capita attingam. Oratio inauguralis tibi habenda est mense Iunio, sub cujus finem, incipientibus longissimis illis Vacationibus, omnes studiosi in provincias dilabuntur. Programma scribi, non moris est. Aedes tibi conduxi, non quales volui, sed quales hoc tempore potui, multo quidem angustiores Vitembergensibus. Professoribus hîc turpe esse putatur, studiosis cubicula locare, eorumque esse convictorem. Iidem Professores simplici veste utuntur, pullo maxime. Est Leidae Lutherana ecclesia, in quâ Belgicae conciones habentur. Germanicis etiam libris hic pretium suum constat, praesertim si clarorum virorum bibliothecae hastae subjiciantur. Currus, quo vehi constituisti, tibi vendendus est attingenti fines Hollandiae: inde iter faciendum navigiis vectoriis. Ligni et fornacum quantum satis est, hîc reperies. Quae de coeli Batavi inclementiâ et aëre impuro Vitembergae jactantur, ab invidis conficta putato. Negari haud potest, coelum hîc crebro mutari, interdum bis terve eodem die. Sed hiems multo lenior est, quam in Germaniâ. Praeteritâ quidem hieme nec nivem nec glaciem oculis usurpavimus.

Salubrem regionem esse, argumento sunt tot senes octogenarii, immo centenarii. In ipso ordine nostro ὁ πάνυ Hemsterhusius cum juvenili vigore annum septuagesimum septimum agit, summus physicus, Musschenbroekius septuagesimum.

Crusius, cujus critica nemo Belgarum vel legit, vel refellere dignatur, dicitur nescio quid habere MStorum in Apollonium Rhodium, Argonauticorum scriptorem. Quod si illi cum aliis hujus generis, quae fortasse habet, quocunque modo eripueris, mihi gratissimum feceris. Procerum aliquis Bataviae, cujus mihi amicitia colenda est, vehementer a me petiit, ut sibi e Germaniâ curarem *Philip. Iac. Lambacher* Dissertationem Ratisbonae haud ita pridem impressam, *Quo jure seu titulo usus sit Imp. Rudolphus I. cum ditiones Austriacas ab Ottocaro, rege Bohemiae, imperio vindicaret.* Obsecro te, ut hanc Dissertationem mihi quovis pretio compares, et tecum huc feras. Plura scribam alias. Vale, mi optime Rittere, et quam primum ad nos advola. Dab. Leidae d. 7 April. 1761.

AMICISSIMO VIRO,

IO. DAN. RITTERO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Male sit iis, qui te adhuc moris nectendis in Saxoniâ retinent. Nam et nos suavissimae consuetudinis

tuae fructu privant, et rei tuae familiari insigne afferunt detrimentum. Equidem vellem, mense Junio hîc esses, et sub ejus finem solemnem orationem haberes, propterea quod ex eo die et salarium et fructus ex Promotionibus, qui uberrimus est, ad te redire incipit. Nec est, quod jurisjurandi veniam diutius exspectes. Nam postquam tu ejus remissionem vere et ex animo petiisti, te eo solutum putamus. Nemo certe Maecenatum nomen tuum ideo detestabitur, cum sciant, totam illam jurisjurandi remissionem plus habere cerimoniae, quam verae rei. Aedes angustiores, de quibus nuper scripsi, alteri cessi, tibique amplissimas, quae orientem spectant, exiguo aere, 340 Florenis in biennium conduxi. Mihi crede, ne votis quidem meliores fingere posses. Nulla Batavi subsidia solvunt Saxoniae Electori. Quae si vel maxime solvenda essent, non tamen fert reipublicae nostrae consuetudo, ut privati hominis rem publicam et suam faciat. Quid? ipse Saxo totus in aere Batavorum est. Illustrissimi Curatores, quibuscum, quae voluisti, ex literis tuis communicavi, nuper illustre benevolentiae erga me suae documentum extare voluerunt, Graecarum literarum docendarum provinciae, quam habebam, adjicientes Historiarum et Eloquentiae Professionem, quae Cel. Oudendorpii morte vacare inceperat. Quod novum munus sub finem mensis Septembris solemni oratione auspicabor. Videor mihi satis versatus esse in historiâ veteri. At in illâ, quae medii aevi dicitur, te magistro utar. Trillitschii in Apollonium notas non magnopere curo. Putabam, penes Crusium

ejus poëtae exemplar esse cum Codd. MSS. collatum, vel scholiis antiquis locupletatum. Est, puto, in amicis tuis Heynius, Tibulli editor, omnium, qui ex Ernestinâ disciplinâ prodiere, meo judicio princeps, cui incerto Lare, ut audio, vaganti auctor sim, ut in Belgium migret, ubi ut ipsi bene sit, facile effectum dabo; modo mores hominis respondeant ingenio et doctrinae. Legi puer in Germaniâ Jani cujusdam, ni fallor, levem nec magni momenti libellum de Doctoribus umbraticis. Quo cum mihi cum maxime opus sit, illum tecum feras, rogo. Vale, mi suavissime Rittere, et, ruptis impedimentis, quam primum ad nos advola. Quodsi tibi diutius ibi haerendum est, certe praemittas supellectilem, bibliothecam, etc. Dab. Leidae d. 25 Maji 1761.

Indiculus Professorum Academiae Leidensis.

Facultas Theologica: Ioannes Alberti. Bernardinus de Moor. Ioannes Schelle. — *Facultas Juridica:* Io. Conr. Rucker. Gerlacus Scheltinga. Andreas Weis. . . . . — *Facultas Medica:* Bern. Siegfr. Albinus. Adrianus van Royen. Hieron. David Gaubius. Fridericus Albinus. — *Facultas Philosophica:* Petrus Musschenbroek, Phys. Prof. Tiberius Hemsterhuis, Graecae linguae et Historiae Batavae Prof. Ioannes Lulofs, Philosophiae et Matheseos Prof. Ioan. Iac. Schultens, Orientalium linguarum Prof. David van Royen, Naturalis Historiae et Botanices Prof. Dav. Ruhnkenius, Historiarum et Eloquentiae Prof. Pybo Steenstra, Matheseos Praelector.

Nullus hic Professor extraordinarius, nullus Doc-

tor vel Magister legens. Recte enim judicant Belgae, nullam praesentiorem Academiarum pestem esse, quam Doctorum multitudinem.

VIRO AMICISSIMO,

IO. DAN. RITTERO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Mensem et amplius literas tuas de die in diem avidissime exspecto, nec quae tam diuturni silentii causa sit, ullâ assequi conjecturâ possum. Nullus facile dies praeterit, quo non vel Curatores vel Collegae ex me quaerant, quando ad nos venturus sis. Quibus quum nihil quod respondeam habeo, rursus variis suspicionibus locus datur. Me quidem sollicitum non esse sinit animi tui magnitudo et integritas, tot aliis rebus cognita et spectata. Non ii sunt mores tui, ut fidem, quam splendidissimis viris sancte et solemniter dedisti, quocunque praetextu fallere possis. Sed forte te adhuc ludificantur Dresdenses: forte aulici Warsovienses literas tuas supplices contemtim abjecerunt, altero anno, si commodum fuerit, illas inspecturi. Quin tu exire propera ex illis terris, ubi potentes nebulones liberum hominem, tamquam vile mancipium, risum jocumque faciunt. Quod si tibi Rex ipse missionem negat, quid est, quare nos hac de re non certiores reddas. Nam quod tibi impetrare difficile est, facile Hollandiae Ordines per

legatos suos impetrabant. Dixit mihi Batavi nominis princeps, Comes Bentinkius, se eos in aulâ Regis vestri amicos habere, facile ut quidvis ab iis impetrare possit. Aget etiam tuam caussam Cauderbachius, legatus Saxonicus: aget Comes Bruhlius junior, qui hîc est. Vides, quam dispar sit ratio nostra et tua. Nos de te quotidie laboramus. Tu nullius rei nobis notitiam impertis, et vero me etiam, quo meliorem amicum ne fingere quidem potes, literarum tuarum suavitate privas. Fac igitur, quam primum ad nos de omnibus rebus quam accuratissime scribas. Vale, mi suavissime Rittere. Dab. Lugduni Batavorum d. 26 Junii 1761.

IO. DAN. RITTERO,

AMICO SUAVISSIMO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Incredibilem in modum gaudeo, te tandem missionem impetrasse. Rumpe igitur moras, et quamprimum advola in amplexus nostros. Vellem hic potius esses medio mensis Augusti, quam circa finem. Nam initio Septembris jam habenda est oratio: quae ut ingenti, quam concitasti, ingenii et doctrinae famae respondeat, operam dabis. Solet hîc ex Orationibus augurium capi successûs futuri. Sequenti hebdomade ad te mittam literas publicâ fide munitas, quae tibi, uxori et filiabus securitatem praestent.

Sed alteras, quas duo Comites tui secum ferant, mittere non possum, propterea quod nomina juvenum in literis exprimenda addere neglexisti. Nec, si quid video, tibi literis opus habent. Nam qui Albi devehuntur Hamburgum, cum nullis occurrant Gallis aut Hanoveranis, satis muniti erunt literis legati Verelstii. Ancilla, quae aedes praeparet et servet, conducetur. Juvenes, cum hîc venerint, me quaerent, ut illos in aedes deducam. Vinum etiam curabitur. Sellas pulchriores tecum feras: viliores facile parabuntur. Proximum iter tibi erit per Brunsvigam et Osnabrugam usque ad Amstelodamum: quo tibi obviam irem, si adventûs tui dies mihi cognitus esset. Sed hunc definire ne ipse quidem poteris. Haec scripsi eodem die, quo literas tuas accepi. Ernestum nostrum meo nomine saluta, et ex eo quaere, an ipsi redditae sint Collationes Orphicae, cum Gesnero communicandae. Vale, mi optime Rittere. Dab. Leidae d. 21 Jul. 1761.

RITTERO SUO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Non dubito, quin tibi redditae sint literae publicâ Ordinum fide munitae. Sed aliis adhuc tibi opus est, ut navis portum Amstelodamensem sine ullo vectigali intrare possit. Quae ante mitti non possunt, quam a te enumerata est potior supellex tua,

et commemorata nomina duorum juvenum, qui illâ navi vehuntur. Haec ut quamprimum Gallico sermone expressa ad me mittas, te etiam atque etiam rogo.

Heynium meo nomine salutes, eumque moneas de mittendis curis suis posterioribus in Epictetum, quas Roterodamensibus promisit. Equidem ut dignum hoc labore praemium ad eum perveniat, diligenter curabo. Vale, mi optime Rittere, et adventum tuum matura. Dab. Leidae d. 2 Aug. 1761.

RITTERO SUO

DAVID RUHNKENIUS

SALUTEM.

Cum ante aliquot dies ad te scriberem, unum et alterum Curatorum, non ipsum collegium, convenire licebat. Itaque postea demum intellexi, illos tuum tam diuturnum silentium minus patienter tulisse, et scriptis per Amplissimum Van Royen literis hujus rei caussam a te quaesivisse. Quas literas non dubito, quin per illustrem Verelstium recte acceperis. Omnino vix credas, quanto cum Academiae detrimento absentia tua conjuncta sit. Finitis Vacationibus Professores ad lectiones habendas rediere. At juvenes illustres, praesertim ex peregrinis regionibus huc delati, cum publici juris doctorem non inveniant, Ultrajectum vel in alias Academias discedunt. Per semestre tempus, tuâ caussâ, hîc tenui

duos Comites Austriacos a Tun, et Marchionem Italum Brentanum, qui tandem alio sunt profecti. Adhuc teneo Comitem a Podewils et aliquot alios. Nec illa mora Academiae modo, sed tibi etiam grave damnum affert. Perdis enim, praeter salarium, luculentum ex quotidianis fere Promotionibus reditum. Hanc opimam praedam nunc soli partiuntur Ruckerus et Scheltinga. Profecto munus tibi delatum plus habet emolumentorum certissimorum, quam tibi initio scribendum duxi. Volebam enim, te, cum huc venisses, omnia verbis meis majora invenire. Sic nihil scripsi de Academiae recturâ, quam jam tertio ab hinc anno series ad te deducet: ex quâ 800 floren. lucraberis. Nihil de Academiae Secretariatu, ex quo suo tempore multo majus lucrum, 1200 floren. habebis. Haec omnia mihi quidem tanti videntur, ut, si mei res esset arbitrii, illa vel bonorum Wittenbergensium jacturâ redimerem. Heri conventus Curatorum est habitus, et ipse ad splendidissimum Collegium vocatus, tuas literas ostendi. Aegre ferebant, novas difficultates esse exortas, mihique mandabant, ut literis ad te scriptis iter tuum quâcunque ratione urgerem, teque suo nomine monerem, ut singulis hebdomadibus (nullâ praetermissâ) vel ad me vel ad suum Secretarium scribas, quo in loco sint res tuae. Nam si forte, id quod non sperant, missio tibi diutius negetur, res ad Hollandiae Ordines deferetur, ut hi ipsi cum rege agant. Interea literae datae sunt ad Bruhlium, aliosque Aulae Saxonicae Proceres. Vides, mi Rittere, quam carus acceptusque omnibus venturus sis. Rumpe

igitur moras, et te tuosque transfer in cultissimam gentem, quae tantum meritis tuis pretium statuit, et una totius Europae doctorum hominum labores digne remuneratur. Vale, mi optime Rittere. Dab. Leidae d. 15 Sept. 1761.

RITTERO SUO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Spero te accepisse literas, quas epistolae ad Clar. Ernestum inclusas ad te misi ante hos quatuordecim dies. Eodem tempore Illustrissimi Curatores ad te scripsere, tempus huc migrandi tibi praefinientes. Nudius tertius aliae mihi a te literae redditae sunt, quae Cl. Heynii epistolam adjunctam habebant. Ex iis invitus vidi, te missionem adhuc frustra exspectare. His diebus etiam huc perlatae sunt literae diu exspectatae Comitis Bruhlii et Vattelli, quae lectae animum meum prope perculerunt. Scribit enim Bruhlius, te ipsi majus desiderium in Saxoniâ manendi, quam ad Batavos eundi, ostendisse, si stipendium Vitembergense augeretur. Addit porro, se totum negotium tuum consilio Dresdensi delegasse, nec ullo modo impedire, quin alibi lautiorem conditionem accipias. Hoc ipsum pluribus verbis confirmavit Vattellus, testem etiam citans Secretarium regium, qui ei tuum in patriâ manendi desiderium confirmarat. Sed haec levia sunt prae iis, quae, ut

audio, Procerum Dresdensium aliquis, tibi minime favens, ad amicum Haganum scripsit, nempe te consilium in Bataviam migrandi plane jam abjecisse, sed rem tantum ducere, et vocationem Leidensem passim jactare, ut lautius salarium a Dresdensibus exprimas. Haec quo dolore legerim et audierim, dici vix potest. Animadverteram ex nuperis literis tuis, animum tuum, uxoris forte precibus delinitum, vacillare. Sed me confirmarunt literae a te ad Curatores scriptae, quibus ardentissimum huc veniendi desiderium ostendebas. Neque vel nunc credo, vel unquam credam, qui generosam tuam simplicitatem, candorem et honestatem saepe multumque perspexi et admiratus sum, hanc adeo nefariam fraudem in te cadere posse. Itaque patrocinium tuum apud Curatores suscipio, eorumque tibi benevolentiam conservo. Enimvero omnes illae calumniae non certius refutari possunt, quam si, ruptis moris, vel ipse statim huc venias, vel κατηγορικῶς diem, quo iter suscepturus sis, definias. Satis jam scimus, nec regem te retinere, nec Bruhlium. Quid tu igitur curas Dresdenses, ubi plures inimicos habes, quam amicos? An tu vereris, ne tua sine missione abeuntis bona fisco addicant? Hic metus et mihi et Curatoribus vanissimus videtur. Invenimus hîc tandem in Bataviâ, qui unus apud Bruhlium potest omnia, et qui, si bona tua vexare audeant, caussam tuam aget tum apud Bruhlium, tum apud ipsum regem. Is est Illustrissimus Calcoen, antehac reipublicae Legatus in aulâ Dresdensi, regi eximie carus, Bruhlii vero intimus. Quae cum ita

sint, per Deum immortalem, et per tenerrimum meum erga te amorem, te, mi Rittere, oro quaesoque, ut, missis ambagibus, fidem, quam maximis viris sanctissime dedisti, praestes, et omnibus ostendas, te maximâ quidem eruditione, sed majore virtute praeditum esse. Adest temporis articulus, a quo omnis reliquae vitae tuae sors pendet. Felicem te, si te beata Batavia sinu suo excipiat et molliter foveat: miserum, si nescio quo incerto lucro illectus, Vitembergae haereas. Mecum quin sentiant Ernestus et Heynius, nullus dubito. Vale, mi optime Rittere, et vola in amplexus nostros. Dab. Leidae d. 13 Novembr. 1761.

VIRO AMICISSIMO,

IO. DAN. RITTERO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Literas tuas recte accepi. Legi etiam eas, quas ad Curatores dedisti. Sed nihil certius attulerunt, quam superiores omnes: id quod tamen Curatores omnino exspectassent. Illi igitur persistunt in consilio semel suscepto, nisi hîc fueris tempore definito, appellandi alterum; inprimis postquam ex literis Varsoviensibus, ut nuper tibi scripsi, intellexerunt, nec regem te retinere, nec Bruhlium. Disseminarunt etiam Dresdenses quidam literis ad Batavos scriptis, te cum Saxoniae proceribus nundinari, et tum de-

mum ad nos ituros, si tibi Crellianam professionem negent. Quid jam reliquum est, mi carissime Rittere, nisi ut te per Deum immortalem orem, velis moras, quarum dudum Curatores taedet, rumpere, et huc stato tempore venire, vel certe diem abitûs tui κατηγορικῶς definire. Tunc enim summa a me opera dabitur, ut tempori a Curatoribus constituto aliquot dies addantur. Nemo hic credet, Saxones adeo crudeles futuros, ut, si absque missione abeas, aedes tuas fisco addicant. Illustrissimus legatus Calcoen et ipsi Hollandiae Proceres caussam tuam apud regem agent. Immo si vel aliqua bonorum jactura tibi sit facienda, certe, quae Curatorum est magnanimitas, hunc tuum sibi devotum animum quocunque modo remunerabuntur. Cum aliis viris tibi res erit, quam cum aulae Saxoniae nebulonibus. Non satis nosse videris Batavos, quorum est plus re praestare, quam verbis polliceri. Bibliothecam et supellectilem Hamburgum transferendam cures. Hamburgo naves, etiam per hiemem, ultro citroque Amstelodamum commeant sine periculo. Quodsi tamen times libris tuis, relinquas eos cum supellectilis parte Hamburgi usque ad mitius tempus Leida libris abundat: publica bibliotheca inter praecipuas Europae refertur, quâ Professores utuntur ut suâ. Supellex necessaria hîc parvo aere in singulos menses conduci potest. Filiae parvae contra frigus satis munitae erunt tecto vehiculo. De latronibus quae narruntur, mihi crede, falsa sunt omnia. Quotidie mercatores nostri iisdem in locis sine ullâ cujusquam injuriâ peregrinantur, ne muniti quidem li-

teris Ordinum Hollandiae et regis Borussorum, quas tu habes. Sed quid si solus cum studioso juvene iter suscipias, uxorem liberosque relinquens Vitembergae vel Lipsiae usque ad vernum tempus? Facile tunc Curatores tibi commeatum dabunt, ut per tres quatuorve hebdomades in Saxoniam remeës, et tuos huc ducas. Hoc consilium ut tibi darem, mihi auctor fuit Amplissimus Van Royen. Scribis, te sub finem hujus mensis nos certiores redditurum, quid consilii tandem ceperint Saxoniae Proceres. Haec locutio a te saepe usurpata minus placet Curatoribus. Tuum consilium cognoscere cupiunt, non Saxoniae Procerum. Tu ut liber homo fidem tuam adstrinxisti, et Curatores prope per annum suspensos tenuisti: ergo te ut liberum hominem fidem praestare decet. Quid enim? Si Proceres illi, lucro quodam tibi objecto, decernant, tibi Vitembergae esse manendum? An tu, mancipii instar, eorum decreto obedies? nos Batavos valere jubebis? Per sanctissimam amicitiam nostram te quaeso et obtestor, ne tali eorum decreto obtemperes. Cogita, quid tuâ caussâ fecerim, et quam mihi innocenti apud Curatores invidiam et odium contracturus sis, si promissa toties iterata, post tantum temporis intervallum, fallas. Non tales gratiae mihi a te referri debent. Sed ego fausta omnia ominor. Unâ Leidae conjunctissime vivamus et moriamur. Omnia quin tibi hîc placitura sint, dubitare noli. Vidi multas Europae regiones: nondum beatiorem Bataviâ. Sed finem scribendi faciam, si illud unum adjecero. Omnes Collegae mei vere, ut mihi videtur, judicant, te pessime rationibus tuis

consulere, cum aedium tuarum caussâ tamdiu Vitembergae restas, perdens ex alterâ parte prope valorem aedium. Nam si huc stato tempore venisses, jam quatuor millia florenorum lucrifecisses. Equidem nescio, qui sint consiliarii tui. Sed quicunque sunt, stulti et infideles sunt. Utinam semper Ernestum nostrum audiendum putasses! Bene vale, etiam atque etiam videns, ne tibi Leidensis conditio elabatur: quam amisisse, te postea, sat scio, aeternum poenitebit. Diem profectionis tuae Amplissimo Van Royen singulari epistolâ significabis. Dab. Leidae d. 1 Decembr. 1761.

O! mi Rittere, quid in te commeruerunt Curatores Leidenses, summo splendore et singulari integritate viri, ut eos aperte fallas et ludibrio habeas? Quid ego, ut mecum, cujus candorem novit Deus, parum candide agas? Accepi literas tuas die 3 Dec. scriptas, quibus alium colorem inducere conaris iis, quae hîc literae Varsovienses vulgarunt. Sed illa veriora esse, quam quae ex Apollinis tripode dicuntur, nos docuit ipse Praeses Globigius. Adjeci epistolam, quam quanto ego cum stupore legi, tanto tu leges cum conscientiae aestu. Patefacta sunt tandem omnia consilia. Tu ipse, cum missione impetratâ abire potuisses, mutato consilio Vitembergae restitisti, ut Juridicam Professionem ambires. Hinc omnes, quae consecutae sunt, turbae. Bone Deus! in quam perniciem ruis uxoris blanditiis occaecatus. Vere divinavit jam dudum Ernestus

noster, uxoris consilium te perditurum. Vides nunc, illos ipsos aulicos, quos tu patronos tuos credis, te apud nos prodere, et detestari agendi rationem, quâ adversus Curatores uteris. Quid Curatores, talibus literis lectis, judicent, facile est tibi ad existimandum. Scripsi tibi ante hos quindecim dies, illos terminum non prorogaturos. Quod multo aegrius facient, post illas literas Dresdenses, quarum hîc exemplum habes. Res igitur prope perdita et conclamata est, nec restitui potest, nisi his modis, ut vel ipse statim solus huc advoles, uxore et liberis in Saxoniâ ad tempus relictis, (ut nuper tibi scripsi) vel quam ocissime literas supplices ad Curatores mittas, quibus denuo fidem tuam adstringas cum capitis devotione, si fallas, et Numinis immortalis obtestatione, sanctissime promittas, te brevi hîc futurum, spretis et contemtis regis, Bruhlii, Dresdensium minis vel interdictis, addas denique, te ipsâ praesentiâ tuâ ostensurum, omnia quae de te vulgata sunt, calumniarum loco esse habenda. Nam si Curatores te hîc viderint, facile ea, quae minus ingenue acta sunt, oblivioni tradent. Interea ego Curatorum praesidem, Comitem a Bentink, et Ill. de Witt supplex orabo, ut tibi terminum paullo longiorem concedant. Fac igitur, literae tuae quam citissime ad Curatores perferantur. Magnâ cum voluptate ex ultimis literis intellexi, te ardere cupiditate ad nos migrandi. Utinam Deus hunc ardorem perpetuum esse jubeat. Verum ego etiam atque etiam vereor, ne, si interea Crelliana Professio tibi offeratur, tu rursus nos ludas, et Vitembergae

maneas. Quod si tibi facere animus est, melius erit, nihil ad Curatores scribere, et totum negotium pro deperdito habere. Nam etsi mirus simulandi artifex, Bruhlius scribit, te bonâ cum veniâ suâ abire posse, fieri tamen potest, ut aliter agat, quam scribit, tibique illam Professionem deferendam curet. O! te mortalium miserrimum, si, hac offâ objectâ, dimittas lautissimam Leidensem conditionem. Equidem meliora ominor. Sed si forte migrandi ad nos consilium abjicias, quam primum me certiorem redde, ut aedes tibi conductas alii cedere possim, ne hinc tibi etiam majus, quam adhuc factum est, detrimentum nascatur. Ancillam jam ante duos menses dimisi. Facile enim, si veneris, aliam inveniam. Hic finem facio scribendi te obsecrans et obtestans per tuam et tuorum salutem, per amicitiam nostram sanctissime cultam, per quidquid denique tibi carum est, ut, ruptis omnibus impedimentis, huc quantocius confugias in tranquillum verae felicitatis portum. Vale, mi carissime Rittere, et ama tuum Ruhnkenium. Dab. Leidae d. 18 Dec. 1761.

Viduae Professorum hic etiam immunitate cum liberis gaudent. Hoc addo non per josum, sed serio. Si filiae tuae pulchritudine excellant, hic illis paratae sunt conditiones luculentissimae. Nam multi omni tempore in Bataviâ juvenes sunt regalibus divitiis abundantes, qui pulchras uxores in matrimonium quaerunt, nullâ vel dotis vel religionis ratione habitâ.

VIRO AMICISSIMO,

IO. DAN. RITTERO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Speravram, te tandem aliquando certi quid constituturum: et te constituisse, ex literis ad me tuis conjiciebam, quibus scribebas, te talem Curatoribus fidem dedisse, de quâ nemo dubitare posset. Sed lectis literis, quas ad Curatores dedisti, vidi hanc fidem vanissimam esse, quippe quae pendet ex merâ regis vel Bruhlii libidine. Si ille te dimisurus est, venies: sin minus, etc. Verum Curatores non adeo stulti sunt, ut diutius a Bruhlii arbitrio pendere velint, praesertim cum ex literis Varsoviensibus et Dresdensibus, quae huc frequentissime afferuntur, satis cognoscant, te abeundi veniam a Bruhlio non impetraturum. Interim supplicando, et singulis Curatoribus demisse appellandis effeci, ut Curatores negotium tuum differrent usque ad proximum conventum, qui erit sub hujus mensis finem. Quid tum decreturi sint, nescio. Variant enim sententiae. Alii enim tibi nuntium remittendum censent: alii tot dies tibi concedendos, quot opus ad iter in Hollandiam faciundum. Jam etiam animo designarunt, quem, si tu promissa fallas, appellent. Is est Pestellus Junior, Professor Rinteliensis, vir elegantissimus, et qui supra vulgus sapit. Tu videris, mi

Rittere, quid tibi faciundum sit, utrum Vitembergae in miseriâ et vilissimâ servitute consenescere malis, an apud Batavos in summâ libertate omnium bonorum copiâ circumfluere. Conditiones lautiores, quam Curatores tibi jam obtulerunt, absens ab iis exspectare noli, praesertim cum iniquissime ferant longas et inauditas moras. Si huc veneris, et maximae, quam de te habent, exspectationi satis feceris, omnia summa ab iis exspectare potes. Tenent enim hanc consuetudinem, ut Professoribus pro utilitate, quam Academiae praestant, salaria augeant. Mille floreni primo statim die, quo huc veneris, tibi solventur. Scribis, solum stipendii residuum te impedire, quominus absque missione abeas. Miror credulitatem tuam, quâ in spem venis, tibi illud residuum aliquando solutum iri. Ne teruncium quidem inde accipies, etiamsi Vitembergae maneas. Novimus enim res Saxoniae ita afflictas esse, ut princeps de residuis solvendis vix post triginta annos cogitare possit. Praeterea bellum tantum abest, ut sopiatur, ut potius de integro exardescat. Equidem magno dolore afficior, quod videam, spem te in Hollandiâ amplexandi in dies magis evanescere. Feci tuâ caussâ, quod pro nemine mortalium me iterum facturum, certo scio, et infinitas molestias prensando, supplicando, scribendo exhausi. Has molestias jam auget mercator Leidensis, I. van Ingen, mercedem a me postulans pro aedibus, quas ut mandatarius tuo nomine conduxi. His molestiis ut me liberes, a te etiam atque etiam peto. Semel atque iterum tibi auctor fui, ut, relictâ ad tempus uxore, solus huc

venias et praesens negotium tuum transigas cum Curatoribus. Quaesivit unus ex Curatoribus, cur hoc consilium non sequereris. Respondi, te hiemis inclementiâ impediri. Ergo, inquit ille, Legatus Verelstius huc mense Januario venire potest: Ritterus non potest. Aut mollem eum esse oportet, aut senem decrepitum. Utinam, mi Rittere, Deus hanc tibi mentem det, ut lectis his literis quam primum ad nos advoles. Prae gaudio vix apud me essem, talis felicitas si nobis obtingeret. Vale, mi optime Rittere, et e servitute te vindica in libertatem. Dab. Leidae d. 9 Febr. 1762.

AD RAPHELIUM.

PLURIMUM REVERENDO DOCTISSIMOQUE VIRO,

BRANDANO LUDOLPHO RAPHELIO,

DIVINIORIS VOLUNTATIS INTERPRETI DIGNISSIMO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Ita mihi velim, quae opto, obtingant, ut tuae me literae, incredibili quadam voluptate perfuderunt. Cum enim quaelibet aliae, tantum spei ostendentes, mihi gratissimae fuissent, tum vero hae fuerunt eo acceptiores, quod ab illo profectas esse videbam, ad quem et virtutis paternae, et omnium eorum, quorum nos desiderio tenemur, hereditas pervenit. Tu igitur, Vir venerande, cujus ego eximiam humanitatem quibus verbis collaudem, non invenio, quicquid superest paternarum accessionum, quicquid dissertationum ad Philologiam sacram pertinentium, quicquid denique libellorum tanti auctoris nomine dignorum, ad nos, ut humanissime annuisti, quam primum, quaeso, transmittendum cures. Quibus si imaginem praestantissimi viri adjunxeris, erit, de quo nobis etiam atque etiam gratulemur. Ecquis enim est, qui non vultum ejus videndi noscendique studio efferretur, cujus politis-

sima scripta manibus non tam tenet, quam terit, quemque inter eos, qui aetate nostrâ sacris literis florentioris Graeciae decus adjecerunt, tantum non principem ponit? Hinc nihil neque bibliopola noster, neque dexterrimus hujus regionis artifex intermittet eorum, quae ad effigiem patris tui scite affabreque exprimendam pertinere videantur. Ipsum quidem annotationum opus, ut, unde digressus sum, redeam, duos in tomos dividetur, quorum altero Annotationes in V. T. et Evangelistas, altero Annotationes in Actus Apostolorum reliquamque partem N. T. continentur. Ut vero nihil omnino in eruditissimi viri scriptis mutare sustinemus; quam Deus insaniam a nobis prohibeat, ut prohibet certe; ita nobis pace tuâ, pace etiam, credo, maniam τοῦ μακαρίου, ordinem Annotationum ratione eâ, quam subjectum specimen declarat, sumsimus immutandum. Neque id facere ausim arbitrio quodam meo, sed ductus auctoritate et Tiberii Hemsterhusii et Ioannis Alberti, summorum hominum, et in his literis paene divinorum. Neque vero dubitari potest, quin pater tuus, si omnes eodem tempore Annotationes foras dedisset, eundem sibi ordinem eligendum putasset. Est profecto cuivis lectori aliquanto accommodatius, quid Herodotus, quid Xenophon, quid Arrianus, quid denique Polybius ad locum aliquem illustrandum contulerit, velut in unâ tabulâ obtutu uno contemplari, quam tria volumina, ut disjectas dissipatasque Annotationes conquirat, insigni cum taedio, nec minori temporis jacturâ excutere et pervolutare. Denique tu, Vir plurimum

venerande, maximopere a nobis rogandus es, ut et vitam patris tui paulo fusius conscribas, et totum opus luculentâ praefatione ornes. Quae certe praefandi provincia neque mihi, neque ulli alii, superstite adhuc te, optimi parentis eruditissimo filio, conveniret. Nos quidem de te egregia omnia exspectamus; memores illius Horatiani: Et bonis est in juvencis, est in equis patrum virtus. Nosti cetera. Neque illud nos augurium unquam fallet. Sed ut his in rebus et temporis tui ratio habeatur, et muneris, quod sustines, gravissimi: bibliopola tibi illud trium mensium spatium, per quod Annotationes prelum exercent, ad vitae historiam praefationemque concinnandam concedit. Si quid interea occurrit, de quo in antelogio admoneri, lectoris refert, id tibi industrie a me, ut decet, perscribetur. Interim vale, Vir plurimum reverende, nobisque illud praeclare de nobis Graecisque literis merendi studium conserva. Lugd. Bat. d. 10 Martii 1745.

PLURIMUM REVERENDO DOCTISSIMOQUE VIRO,

BRANDANO LUDOLPHO RAPHELIO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Serius aliquanto, quam vellem, literis tuis respondeo, cum variis, quibus distineor, negotiis, tum maxime itinere aliorsum suscepto impeditus. Nunc cum rursus aliquid otii nactus sim, putavi certiorem

te esse faciendum, non solum praefationem et vitam, sed imaginem etiam parentis tui recte ad nos pervenisse, neque nullâ nos perfudisse voluptate. Inprimis mihi arriserunt ea, quae erudite et eleganter disputas ad illum Johannis locum. Neque est dubium, quin omnium, qui de his rebus judicare possunt, punctum sis laturus. Sed non aegre feres, quâ es humanitate, Vir plurimum Venerande, me in ultimo praefationis tuae paragrapho et nomen meum, quod nimiis laudibus ornasti, delevisse, et alia nonnulla, quae ad rationem editionis nostrae declarandam spectare putavi, mutasse. Equidem tantum studii et industriae in emendandis et dirigendis parentis tui Annotationibus posui, ut, si nomen meum vel in ipsâ libri fronte legi paterer, minime impudenter fecisse viderer. Sed scito, hunc a me laborem, non ut ullam inde gloriam aucuparer, sed ut tum animo meo Graecarum literarum amanti, tum etiam precibus bibliopolae obsequerer, esse susceptum. Accessit, quod hanc meam operam non ingratam esse viderem Batavorum Eruditorum longe principi, Tib. Hemsterhusio, cui omnia mea minima maxima probari cupio. De cujus erga patrem tuum, τὸν μακαρίτην, studio ego publica, quae in Notis ad Lucianum exstant, testimonia proferre possem, satis tamen, ut credas, erit dixisse, Summum hunc Virum patris tui, Viri, ut ipse dicere solet, candidi et eruditi, amore captum, non subterfugisse, dum ego abessem, ingratum et fastidii plenum corrigendi laborem. Cum igitur ille in partibus, quas ipse emendavit, diligentiam praestiterit mirificam,

nec ego in partibus reliquis minorem, spondeo, hanc editionem tam castigatam esse futuram, ac si ex Stephanianâ aliquâ aut Elzevirianâ officinâ prodiisset. Poteram primum Annotationum Volumen, cujus nunc tantum titulum mitto, jam integrum ad te ablegare. Sed, ut sumtibus parcerem, omnia, quae tibi transmittenda sunt, ad finem Voluminis secundi reservanda duxi; quod ego mense Mart. aut April. prelum relicturum spero. — De Arriani editione, quod doleo, spes fere omnis decollavit. Nimirum Batavia tot Blancardi et Gronovii editionibus abundat, ut nemo bibliopolarum, quos semper impuros lucripetas esse nosti, ad hunc auctorem denuo excudendum adduci possit. Vellem mihi ipsi res tam lauta esset domi, ut opus hoc ab heredibus emptum bibliothecae meae inserere liceret. Fortasse enim alio tempore aliove loco paratiorem offenderem bibliopolam, qui partum ingenii tam elegantem a tenebris, quibus alioquin premitur, sempiternis vindicaret. Ac licet vix ferant rationes meae, offero tamen heredibus nummos tres aureos cum exemplaribus nonnullis, si quando opus typis exscribatur. Tu vero, Vir plurimum Reverende, quid iis videatur, mihi rescribe, et, quod facis, favere perge. Etiam atque etiam vale. Dab. Lugd. Bat. d. 9 Dec. 1745.

AD KULENKAMPIUM.

CLARISSIMO ATQUE ERUDITISSIMO VIRO

L. KULENKAMP,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Cum saepe constituissem, humanissimis literis tuis respondere, tibique gratias agere pro elegantissimis observationibus in Etymolog. M., alia ex aliis negotia mihi scribendi facultatem eripuerunt. Nunc vero aliquid otii nactus, nihil huic literarum officio praevertendum existimavi. Cepisti consilium, vir doctissime, et mihi et omnibus, qui Graecas literas amant, longe gratissimum. Nam cum luculentas Suidae et Hesychii editiones habeamus, nihil jam vehementius optamus, quam ut similis editio Etymologici M. prodatur. Verum non aegre feres, quae tua est humanitas, si de paucis te libere et candide, ut mea fert consuetudo, admonuero. Video in te et ingenii et doctrinae satis esse ad provinciam, quam suscepisti, recte administrandam. Sed aliis subsidiis parum mihi instructus videris. Credis tu quidem, te in codice Gudiano thesaurum reperisse. At ego vereor, ne inveneris carbones. Equidem mihi videor hac de re eo certius judicare posse, quod et Parisinum Ultrajectinumque codicem, apographum, ut recte conjicis, Ant-

werpiensis, neutrum a Gudiano diversum, accuratissime excusserim, et multis Lexicis MSS. tractandis in utramque partem de Lexicis judicare dicerim. Quicquid bonae frugis in Parisino i. e. Gudiano Codice reperitur, diligenter excerpsi. Quod quantum putas fuisse? Vix duodecim implet paginas in quarti ordinis formâ. Reliqua, quae ille liber continet, vix cassâ nuce emerim. Fateor quidem, te multa technica in Etymologo Gudiani codicis ope emendare posse. Sed technicorum emendationes etsi non spernimus, tamen non valde curamus Quid, quaeso, illud est, quod in Etymologo M. a viris doctis tantopere expetitur? Profecto non sunt technica ista, sed aurea veterum scriptorum fragmenta, sed exquisitiores quaedam observationes ex veteribus Grammaticis descriptae, quibus dialecti maxime illustrantur. Verum in fragmentis emendandis te destituet, quem auxiliatorem advocasti, codex Gudianus, quippe non ita multa in eo reperiuntur. Relinquitur ergo, non multum opis exspectandum esse a cod. Gudiano ad Etymologum redintegrandum. Ego potius tibi auctor sim, vir praestantissime, ut ad multo certius auxilium, nempe MSStorum ipsius Etymologi confugias. Vidi in Galliae bibliothecis septem aut octo, longe antiquissima, ex quibus, non dubito, quin Etymologus mille locis emendari et augeri possit. Nec desunt codices in Italiâ, aut in ipsâ Germaniâ Vindobonae et Monaci. Praeterea tibi comparabis *Orionis Thebani* Etymologicum, quod totum fere, etiam ubi non no-

minat, operi suo intulit Etymologus M. Ego inde nonnulla excerpsi in usus meos, ejusque specimina dedi in praefatione ad Hesychium. *Hemsterhusio*, *ut vero*, cujus acerbissimum Musis obitum nondum eluximus, alterum Observationum tuarum exemplum, ut jusseras, tradidi. Qui vehementer laudans institutum tuum, illud unum mirabatur, quod scribis pag. 8, *Sylburgii* emendationes saepius vulgari lectione deteriores esse. Nam ille *Sylburgium* criticum tam felicem quam modestum judicabat, et vix quemquam eorum, qui post renatas literas vixerunt, ei Graecae linguae scientiâ parem ponebat.

Vale, vir Eruditissime, et de bonis literis, ut coepisti, bene mereri perge. Dab. Leidae a. d. 25 Nov. 1766.

AD KANTIUM.

CLARISSIMO KANTIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Anni triginta sunt ipsi, cum uterque tetricâ illâ quidem, sed utili tamen nec poenitendâ fanaticorum disciplinâ continebamur. Erat tum ea de in-

genio tuo opinio, ut omnes praedicarent, posse te, si studio nihil intermisso contenderes, ad id, quod in literis summum est, pervenire. Cui tantae exspectationi quid te satisfecisse dicam, qui illam ita viceris, ut omnium, quos sive patria, sive Germania adeo habet, philosophorum luminibus offecisse videare. Quo mihi fuit gratius et jucundius, ex communi amico, *Wilkesio*, intelligere, mei memoriam, ne post tantum quidem temporis intervallum, apud te exolevisse. Ego quoque de te, mi optime Kanti, saepe multumque cogitavi, crebrius, mihi crede, cogitaturus, si, quod centies optavi, ingenii tui monimenta videre potuissem. Verum quaecunque Germanico sermone scripta sunt, raro aut numquam ad Batavos afferuntur. Teneo librorum tuorum argumenta e diariis litterariis, et laudibus, quibus ornantur, delector. At nihil nisi Dissertationem de Evidentiâ vidi, semel mihi ostensam a peregrinatore Borusso. Omnino vos, qui patriâ potius, quam communi eruditorum linguâ scribendum putatis, parum aut famae vestrae consulitis, aut exterorum utilitati. Audio, te multum tribuere philosopho Anglorum populo, eique placere malle, quam caeteris gentibus ad humanitatem excultis. Quod facis merito, et me approbante. Quin igitur Latine scribis, praesertim cum magnam hujus rei facultatem jam diu consecutus sis, et gens, cui tantopere faves, te vicissim miretur et in oculis ferat. Batavi tametsi illud philosophiae genus, quod nuper Germania celebravit, fastidiunt velut

barbarum et expers elegantiae de priscis fontibus ductae, tamen non dubito, quin libros tuos, Latine scriptos, sint cupidissime lecturi, quippe qui severitatem metaphysicam temperes venusti ingenii lepore et suavitate. Caeterum ut ego ex praestantissimo *Wilkesio*, in cujus tu ore habitas, laetus intellexi, quomodo valeres, quam bene rem gereres, quantus amor in te esset civium, ita tibi quoque, ni fallor, jucundum futurum est, quae fuerit ante, sitne etiamnunc vitae meae ratio, plane cognoscere.

Relicto Regiomonte, Saxoniam petii, et ibi cum philosophiae, tum literis elegantioribus biennium dedi. Inde in Bataviam profectus sum eo animo, ut, triennio in Academiâ Leidensi transacto, patrios Lares repeterem. Verum cum hic tales reperissem humaniorum literarum magistros, quales reperiri vix speraveram posse, nec minis poteram ab illorum disciplinâ divelli. Leidae igitur totos octo annos transegi, nisi quod per anni spatium excurri in vicinam Galliam, ut mediocrem doctrinae apparatum, librorum MSStorum copiis, quos Parisinae bibliothecae suppeditabant, locupletarem. Cepi tandem fructum diuturni, quod bonis literis impenderam, studii. Nam Leidensis Academiae Curatores primum Professionem Graecarum Literarum extraordinariam, mox Eloquentiae et Historiarum ordinariam ad me detulerunt: cui nuper Bibliothecarii munus accessit. Quid multa? Batavi suâ me munificentiâ tam beatum reddiderunt, ut non solum Pomeraniae meae facile obli-

viscerer, sed etiam opimam Gesneri provinciam, quae mihi cum novis honorum titulis a Goettingensibus offerebatur, repudiarem. Interea non pauca edidi ad Graecas Latinasque literas illustrandas comparata, quae laudem aliquam invenerunt apud Batavos et Britannos, jacent fortasse aut ignorantur in Borussiâ. Nec tamen me totum a philosophiâ, quam juvenis acerrimo studio sequebar, removi. Verum antiquitatis amor me ad Platonem detulit, in cujus placitis maxime acquiesco, verissimum esse expertus, quod scribit idoneus judex Leibnitius in Epistolâ quadam ad Huetium: *Doctrina Platonis metaphysica et moralis, quam pauci ex fonte hauriunt, sancta est rectaque, et quae de ideis aeternisque veritatibus habet, admiranda.*

Sed sentio, me longius provehi voluptate tecum colloquendi. Unum si addidero, finem faciam scribendi.

Legi observationes in N. T. scriptas a *Kypkio:* qui an sit condiscipulus noster, scire cupio. Is quocum magna mihi intercedebat aemulatio, praecoci praeditus erat ingenio, et aliquando primas partes habiturus videbatur. At, qui observationes edidit, si quid ego judico, vix tenet secundas. De altero commilitone nostro, *Porschio*, qui versus Latinos ad veterum poëtarum exemplum mirâ facilitate fundebat, nihil ex eo tempore audivi, prope ut verear, ne messis in herbis sit intercepta.

Vale, vir eximie, et tibi pro certo persuade, te a me ita observari, ut tui, quam ego sum, studiosiorem habeas neminem. Tu quoque facies,

ut brevi tuae literae, quae veterem amorem nostrum alant et confirment, ad me perferantur.

Dab. Lugd. Bat. a. d. 10 Martii 1771.

AD FRID. THEOD. RINCKIUM.

I.

Accepi literas tuas, omni humanitate refertas, scriptasque multo elegantius, quam putaram. Ex quo satis mihi perspexisse videor, te, consilii mei memorem, assidue in Ciceronis, Livii, et similium lectione versari.

Juni morte an bonae literae magnam jacturam fecerint, nescio. Maximam certe fecit librarius Lipsiensis, qui ejus Horatium redemerat. Quamquam non dubito, quin brevi alius ex ventosâ ista Aestheticorum natione exorturus sit, qui reliquam partem hoc novo more perficiat, id est, nullâ aut mediocri utriusque linguae scientiâ, nullâ exquisitioris eruditionis copiâ, nullo denique Critices usu, super locis, quos non intelligit, philosophetur, et circulatoriâ vanitate jactet, se demum totum et singularum partium ad totum rationem (*le plan d'ouvrage*), quae scilicet Casaubonos, Gronovios, Bentlejos fefellerat, planissime demonstraturum. Tales veterum scriptorum interpretes quum nunc in Germaniâ vigeant, non mirum est, Editiones a Batavis et Britannis curatas, paucos, ut scribis, emtores apud vos reperire.

Vale, vir egregie, et mihi amorem tuum conserva. Debam Leidae d. 25 Febr. 1791.

II.

Musicus, quem mihi commendasti, tametsi, tempore, ut puto, exclusus, non me adiit, literas tamen tuas per alium misit. Id filia mea, Musices, ut nosti, studiosa, factum nollet, praesertim cum audivisset, eum in concentu musico Amstelodamensi ita placuisse, ut Abbati *Voglero*, at cui viro! par poneretur.

Quantum in bene scribendo profeceris, indicio mihi fuit praefatio tua, in quâ perpauca, quae limam postulant, reperiuntur. Perge igitur, ut facis, stili exercitationem cum Ciceronis et aliorum veterum lectione conjungere.

Nondum potui literas tuas Schultensio nostro reddere. Is enim, animi recreandi caussâ, cum aliquot amicis in Palatinatum excurrit.

Vellem pluribus tecum de bonis literis agere. Sed peregrinatores me interpellant. Vale, Vir Doct., et mihi amorem tuum conserva. Leidae d. 11 Nov. 1791.

AD SCHNEIDERUM.

VIRO CELEBERRIMO

I. G. SCHNEIDERO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Recte Heerenius noster meam tibi facilitatem praedixit. Quae, cum de bonis literis juvandis agitur, non solum notis, amicisque, sed illis etiam, qui alienum a me animum ostenderunt, lubentissime gratificatur; sed apparatus Gronovianus non totus, ut ille putabat, in Bibliothecam Leidensem migravit. Illo enim thesauro publice distracto, melior quidem ejus pars Bibliothecae Leidensi vindicata est, multa tamen, ut fit, aliis animose licitantibus, relinquenda fuerunt. Quicquid nobis obvenit, ad scriptores R. R. pertinens, in cistulâ, quae per cursorem publicum ad Fritschium perferetur, conditum reperies. Sunt autem haec:

1. Cato ex edit. Popmae a I. F. Gronovio collatus cum MS. regio.
2. Cato ex edit. Commelini cum MS. collatus ab eodem.
3. Cato et Varro cum Notis Abrah. Gronovii.
4. Columella c. Not. I. Frid. et Abr. Gronovii.
5. Excerpta Palladii ex Cod. Leidensi, manu I. F. Gronovii.
6. Palladius cum MS. collatus ab Abr. Gronovio.

Nicandrea Gronoviana juvenis eruditus e nostratibus sibi edenda sumsit. Exemplum Alexipharmacorum limâ tuâ perpolitorum, quod singularis humanitas tua mihi destinavit, nondum accepi; nec mitti opus est, nam ut primum ejus copia fieri coepit, sit a me comparatum. Vale, vir egregie, et Gronoviana, ubi ea descripseris, per eumdem Fritschium ad nos remitte. Dab. Leidae d. 13 Sept. 1792.

VIRO PRAESTANTISSIMO

I. G. SCHNEIDERO

DAVID RUHNKENIUS.

Quo tempore literis humanissime scriptis a me petebas, ut Vegetii Leidensis, qui primum Petri Servatii, post Is. Vossii fuit, notitiam tecum communicarem, multae occupationes mihi facultatem studiis tuis serviendi eripiebant. In his angustiis negotium dedi Viro eruditissimo, mihique amicissimo, Laurentio Santenio, ut codicem inspiceret, et, quid boni ei inesset, ad me referret. Respondit, esse apographum, a. 1537 factum, Codicis MS. Monasterii Corbejensis Coloniae, apud S. Pantalem depositi, atque adeo hujus apographi variantes, sub literâ C notatas in editione Gesnerianâ reperiri. Pauca tamen, non magni momenti habet, in eâ editione praetermissa, quae Santenius in schedulâ adjectâ descripsit.

Vale, Vir eximie, et brevitati literarum ignosce. Leidae d. 2 Maji 1798.

AD WOLFIUM.

VIRO PRAESTANTISSIMO

F. A. WOLFIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Quanti summum ingenium tuum et parem ingenio doctrinam faciam, testem habes Spaldingium nostrum, quicum, dum Leidae versabatur, tam frequens mihi de te sermo erat, ut facile intelligeret, me nullo in nomine libentius acquiescere. Postea quoque, non ignorans quam parce et tenuiter Professores Halenses habeantur, de te in Bataviam traducendo cogitavi: quod consilium ne nunc quidem rebus turbatis muto, si id tibi non displicuisse intellexero. Quae cum ita sint, quaeres, cur tribus, ut scribis, epistolis tuis et donis adeo provocatus, ne semel quidem responderim. Ad haec accipe. Epistolae istae unâ cum libris intercideruntⁿ; unus antehac ad me pervenit Demosthenes tuus cum literis humanissimis. Sed is eo mihi tempore reddebatur, quo articulari morbo sive chiragrâ laborabam: quod morbi genus mihi, quam-

vis animo et corpore vigenti, saepe molestum est, et studia mea, praesertim in quibus dextrae celeritate opus est, vehementer retardat. Cum igitur ipse literas pingere non possem, mandavi discipulorum meorum optimo, Wyttenbachio, ut tibi gratias meis verbis ageret, et, quantopere mihi Demosthenes tuus placuisset, significaret. Qui si id facere neglexit, defuit officio. Jam quid animi mihi fuisse censes ad conspectum Homeri tui cum tam honorificâ nominis mei inscriptione? Profecto miratus sum indulgentiam et humanitatem tuam, qui ne sic quidem; quod jure facere potueras, mei amorem abjecisses: cujus constantiae ne te poeniteat, omni studiorum et officiorum genere, quantum in me erit, curabo. Prolegomena tua semel iterumque perlegi, captus tum exquisitae doctrinae copiâ, tum criseos historicae subtilitate. De disputatione autem adversus antiquitatem artis scriptoriae, accidit mihi fere, quod illi Platonis Phaedonem legenti: dum lego librum, assentior; cum posui librum, prope omnis assensio illa elabitur. Sed hac de quaestione alias.

Academicam dissertationem, cujus mentionem facis, tuam de Antimacho nondum vidi. Quam si quando retractatam libelli formâ proferre velis, relegam tuâ gratiâ Grammaticos meos ineditos, ut inde tibi fragmenta quaedam excerpam.

Platonis Scholiastes vereor ne exspectationem tuam fallat. Non affert ille eruditionem eam, quam Aristophanis aut Apollonii Rhodii, sed quam Pindari aut Nicandri.

In posterum si quid librorum ad me mittere vo-les, nemini rectius eos commiseris, quam Weid-manno, librario Lipsiensi: aliâ viâ missi pereunt, ut nuper Demosthenes Spaldingii; id quod ei quaeso significes. Vale, Vir eximie, et mihi amorem tuum conserva.

Leidae d. 3 Aug. 1795.

F. A. WOLFIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Ad ea quae ex me quaeris, sic accipe. Aedes Leidae cariores sunt, quam Halae esse scribis. Professore quidem dignae non nisi quadringentis florenis conducuntur. Reliquarum rerum pretium, tametsi nunc belli calamitate incensum est, pacis tamen tempore non multum a Germanico videbatur discrepare. Ego certe per annos bene multos familiam sex capitum tribus millibus florenorum alui. Vectigalia ordinaria Professores aeque solvunt ac reliqui cives: tributorum extra ordinem solvendorum jam finis est, ut speramus. Rectoris vices, quas recusare adhuc nemini licuit, post octo demum vel novem annos ad te pervenient. Ab assessorio autem munere facile te excusatum habebit linguae Belgicae imperitia. Verum haec, ut alia plura, mox mutationem subibunt. Nam conventui Batavo consilium est, Aca-

demiam Leidensem, abolitis minoribus Academiis omnibus, ad summum splendorem revocare, augendis etiam Professorum stipendiis. Interea tu, Vir eximie, literis publicis, quas Curatores cupidissime exspectant, significabis, te provinciam oblatam *hac solâ conditione* accipere, si stipendium pronuntiatum accessione 1000 florenorum auxerint. Erit id quidem plus, quam nostrûm quisquam accipit; sed, mihi crede, impetrabis. — Salarium solvi incipit ex eo die, quo Oratio inauguralis habetur. Lautioribus conditionibus statim ab initio invitatus esses, nisi obtrectatores quidam *Gottingenses*, ut alibi, sic Leidae nomen tuùm in invidiam vocassent. Quorum calumnias Spaldingius noster in literis ad me datis, quas cum Curatoribus communicavi, egregie discussit. Sed de his coram, quod utinam brevi contingat. Vale, Vir optime, et me, ut amas, ama. Leidae d. 9 Oct. 1796.

AD DOMINICUM PASSIONEUM.

N°. 1.

EMINENTISSIME CARDINALIS, DOMINE INDULGENTISSIME!

Dici vix potest, quantâ per cultiorem, quâ patet, Europam laetitiâ nuntius ille, superiore anno, exceptus sit, qui tibi a summo Pontifice thesauri Vaticani curam delatam esse narrabat. Tot

enim ac tanta summi, quo vales, ingenii inusitataeque eruditionis documenta exstabant, ut omnium vota te huic provinciae dudum destinaverint. Humanitatem vero, quâ excellis, et literas juvandi studium, omnium prope gentium eruditi in edendis operibus suis experti erant, meritisque laudibus condecorarant. Quo minus dubitavi favorem tuum benevolentiamque ambire, commisso clarissimi Barthelemii curae Timaei Lexico Platonico, quod tibi meo nomine redderet, singularis meae erga te observantiae pignus. Incredibili autem voluptate me perfusum sensi, cum nuper admodum ex amicis Ultrajectinis intelligerem, tenue illud munusculum, supra quam sperare fas esset, Tibi placuisse. Neque haec tua tam prolixa humanitas me dubitare sinit, quin meos in posterum conatus, quibus Graeciae Veteris scriptores, inprimisque Platonem, ornare institui, bibliothecae Vaticanae praesidiis sis adjuturus. Cum, edito Timaei Lexico, Parisios iter fecissem, ostendit mihi eruditissimus Sallierius Cod. regium, qui eximia et pervetusta in Platonem Scholia continebat, nondum a quoquam in lucem vindicata. Quae cum multis obscuris Philosophi locis splendidissimum lumen allatura viderentur, absque morâ illa descripsi, castigavi, ad editionemque paravi. Commode vero memineram, similem fere Platonis Scholiasten ἀνέκδοτον latere in Bibliothecâ Vatic. Cod. Palat. num. 173, cujus olim specimen mecum per Cl. Assemanum communicarat Eminentis. Card. Quirinus; missurus haud dubie integrum apogra-

phum, nisi mors consilium turbasset. Codex ille Palatinus varios continet Platonis dialogos, quibus subjecta sunt Scholia, quae dixi, vel interpretationes vocum Platonicarum. Incipiunt hoc modo: Δίκη, ἡ ὑπὲρ ἰδιωτικῶν ἀδικημάτων. Γραφὴ, ἡ ὑπὲρ δημοσίων etc. Hanc MSS. partem, Maecenas maxime, si amanuensi cuidam tuo, Graece docto, describendam dederis, immortali me beneficio a te affectum putabo. Poteris hoc beneficium collocare apud digniorem: apud gratiorem non poteris. Certe nullâ in re mihi magis placebo, quam in laudibus tuis, longe lateque diffusis, commemorandis. Nam dudum est, quod me nominis tui veneratione imbuerit praeceptor meus, Tiberius Hemsterhusius, qui hodie in Belgio nostro Literarum Graecarum principatum tenet. Hunc tu, Cardinalis Amplissime, juvenem juvenis Ultrajecti anno 1713 saepe familiari colloquio dignatus es; cujus adhuc ei jucunda est recordatio. Itaque a me petiit, ut singularem, quâ te colit, observantiam tibi meis verbis explicarem. Quod superest, Deum rogo, ut te, rebus publicis privatisque florentibus, quam diutissime salvum incolumemque praestet.

Tui nominis, tuarumque virtutum, Eminentissime Cardinalis, Domine indulgentissime, cultor admiratorque perpetuus,

DAVID RUHNKENIUS,
PHILOSOPHIAE DOCTOR, ACADEMIAE REGIAE INSCRIPTIONUM ET ELEGANTIORUM LITERARUM SOCIUS.

Dabam Lugduni Batavorum d. 9 Maji 1756.

N°. 2.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO

CARDINALI

DOMINICO PASSIONEO,

S. R. E. BIBLIOTHECARIO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Ex iis literis, quas Id. Jul. superiore anno ad me dare dignatus es, summam illam erga literarum studiosos humanitatem, et incredibile bonas artes adjuvandi studium, quod omnes omnium fere gentium eruditi dudum in te celebrarunt, plenissime clarissimeque perspexi. Cepi autem voluptatem tantam, quantam maximam animo capere potui, cum te, qui eximiâ judicandi vi excellis, viderem eumdem philosophum, cui ego illustrando, emendando, ornando aliquam vitae meae partem dicarim, ceterorum omnium longe principem ponere, et in deliciis habere. Quare etsi hoc tuo erga Platonem amore adductus, nihil non sponte facies, quod instituto meo utilitatem afferre possit; tamen iterum abs te, Cardinalis Amplissime, quâ decet, observantiâ et verecundiâ peto, ut Scholiasten Platonis in Cod. Palat. 173, qui incipit, Δίκη, ἡ ὑπὲρ ἰδιωτικῶν ἀδικημάτων: Γραφὴ, ἡ ὑπὲρ δημοσίων etc., mihi per amanuenses tuos describendum cures. Temere fortasse et parum prudenter ago, dum haec tibi, Maecenas maxime, in

memoriam revoco, eo praesertim tempore, quo tum munerum amplissimorum, tum aliorum gravissimorum negotiorum occupatione distringeris. Sed tanta tua erga omnes, qui literas colunt, tamque inusitata est indulgentia, ut huic quoque cupiditati et festinationi meae veniam sis daturus. Scholiastem vero si accepero, collatum cum Platonis textu, et diligentius castigatum, tuoque, Domine indulgentissime, nomini, quo non aliud hodie in republicâ literariâ illustrius est, inscriptum, mox publicâ luce donabo. Equidem non dubito, alios etiam in Vaticanâ latere Platonis interpretes Graecos, qui et ipsi ab oblivione vindicari mereantur. Sed horum nulla dum ad nos pervenit notitia, propterea quod hucusque non nisi mutilo et brevi Vaticani thesauri catalogo utimur. Quo magis optandum est, ut praeclara Codd. MSS. recensio, sub auspiciis tuis, eruditis omnibus applaudentibus, nuper instituta, brevi ad exitum perducatur. Quod reliquum est, summum Numen precor, ut te, unicum literarum decus, rebus publicis privatisque florentibus, quam diutissime annare et perennare jubeat. Dab. Lugduni Batavorum d. 4 Jan. 1757.

VIRO PRAESTANTISSIMO,

THOMAE TYRWHITT

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Non tam diu, quantam mihi voluptatem libel-

lus a Te missus attulerit, Tibi significare distulissem, nisi Te ex eodem genere remunerare statuissem. Mitto igitur ad Te novam Hymni Homerici editionem, una cum Epistolis Criticis, altero tanto auctioribus. De libello de Lapidibus quam praeclare meritus sis, tanto minus nunc dicere attinet, quod in Bibliothecae Criticae parte, proxime edendâ, publice de eo sententiam dicam, emendationibus quibusdam, quae Tuum acumen forte fugerunt, adspersis. Illa, quam dixi, Bibliotheca Amstelodami editur a discipulis meis. Quorum judicium interdum rego judicio meo, rarissime tamen censuras a me conscriptas interponens, nisi forte liber aliquis, qualis Tuus est, suâ me elegantiâ ad talem scriptionem invitarit. Tu, Vir eximie, quid nunc agas, scire discupio. Utinam illam ingenii sollertiam conferas ad Stobaeum edendum. Quod consilium, me auctore, a Gisberto Koenio susceptum mors immatura turbavit. Profecto nullus Graecus scriptor est, in quo industria Tua, majore cum fructu, versari possit. Nuper ego ex Italicis Bibliothecis tale Stobaei Supplementum accepi, quale adhuc latere, nemo eruditorum suspicatus erat. Neque enim tenue est, aut paucarum paginarum, sed implet centum et sexaginta paginas in quarti ordinis formâ. Alia supplementa, Eclogarum praesertim Physicarum, sunt in Bibl. Leidensi et Augustanâ. Quae cujus generis sint, jam cognosti ex Notitiâ, quam I. C. Wolfius in Observat. Miscellaneis dedit. Vides, tantam materiae copiam esse, ut non labor fabre

desit, sed faber labori. Vale, Vir Praestantissime, et me, ut facis, ama. Dab. Lugd. Batav. d. 9 Januar. 1783. Exemplar Tuo adjectum, nisi grave est, ad Cl. Toupium perferendum curabis.

OPTIMO AMICISSIMOQUE VIRO,

SAM. MUSGRAVIO,

S. P. D.

DAVID RHUNKENIUS.

Recte ad nos perlata sunt Tzetzis Scholia, pro quibus Steenwinkelius maximas Tibi gratias agit, animumque Tibi devinctissimum ducentorum et quinquaginta florenorum dono declarat. Quam pecuniam ubi ab Elmslio petes, velim, eum moneas, ut libris proxime ad Luchtmannos mittendis adjiciat Sydenhami versionem Anglicam Alcibiadis primi. Aliorum Dialogorum versiones habeo has, Hippiae majoris et minoris, Jonis, Symposii, Rivalium, Menonis, Alcibidiadis secundi. Habeo quoque libellum de Doctrinâ Heracliti. Si quid praeter haec prodierit, id quoque addat. Quod scribis, te mythicae historiae defensionem parare, quaeso, adhibeas duplicem Heynii nostri de simili argumento dissertationem, alteram de fabulis Homeri, alteram de Hesiodi Theogoniâ, quas reperies in Commentariis Academiae Gottingensis.

Iterum edentur Epistolae meae Criticae, multis partibus locupletiores. In his retractandis me ver-

santem amicus Codice Callimachi donavit. Sed cum ille ob recentioris manûs indicium ex editione primâ, quam nunquam oculis usurpare licuit, descriptus videatur, Tu, Vir Praestantissime, meâ causâ, rarissimam editionem, quae ex Askewianâ in Cl. Hunteri Bibliothecam migravit, sex locis inspicies, et, an ejus scriptura cum codice meo conveniat, mihi indicabis.

H. in Dian. vs 61. Codex meus hanc quantivis pretii lectionem habet:

Ἀμβολαδὶς τετύποντες, ἀτειρέα μοχθήσειαν
ἐπεὶ μέγα.

H. in Del. 177, sic; omissis nonnullis verbis:

Φρούρια καὶ
Καὶ πεδία Κρισσαῖα, καὶ ἠπείροιο φάραγγες.

. . . . . .

Ibid. vs. 200. Codex ita:

Ἑστης δ' ἐν μεσάτησι· κατωκτείρασα δὲ Λητὼ,
. . . . . .
Φῦκος ἅπαν κατέφλεξας.
. . . . . .

H. in Lav. Pall. 136. Codex meus sic legit:

κορυφὰ Διὸς οὐκ ἐπινεύει
Ἔμπεδον, ὡς δ' οὕτως ᾧ κεν οἷα θυγάτηρ.
. . . . . .

H. in Cerer. 15. sic:

Τρὶς δ' ἐπὶ καλλιχόροις χαμάδις ἐκαθίσαο φρητὶ,
. . . . . .
Τρὶς δ' ἐπὶ καλλίστην Σικανῶν πόλιν ἤλυθες Ἔναν.
. . . . . .
Αὐσταλέα.

Ibid. vs. 23. sic:

ὑπερβασίας
Θήκατο Τριοπίδην ἐχθρὸν καὶ οἰκτρὸν ἰδέσθαι.

. . . . . .

Toupius nec Velleji, nec Homerici Hymni munere provocatus, mihi respondit. Eos libellos nisi per Te misissem, in viâ periisse crederem.

Cl. Matthaeus nuper haec ad me scripsit: « In « Bibl. Crit. indicata est Dissertatio Thyrwitti de « Babrio. Eam si per Te nancisci possem, esset « id mihi longe gratissimum. Nam in rusticatio- « ne meâ nonnulla tetrasticha Ignatii partim con- « tuli, partim, quia editio mea illis carebat, ex- « scripsi. Ea sine istâ Dissertatione et editione « Neveleti a me commode edi nequeunt. Ex- « scripsi quoque tum temporis LXIV fabulas Syn- « tipae Persae, de quo vide Fabric. Bibl. Gr- « Vol. X p. 339. Fabularum ejus nondum quis- « quam, si recte memini, mentionem fecit. Grae. « cae factae sunt ex Syrio, a Monacho quodam, « cujus versio ad similitudinem fabularum Aeso- « piarum proxime accedit." Hactenus Matthaeus, paratus omnia concedere Cl. Thyrwitto, si id ei placere intellexerit.

Vale, vir eximie, et me, ut amas, ama. Valckenarius et Allamandus te plurimum salutant. Salgasius nunc nobiscum est, sub finem hujus mensis ad vos transiturus.

Dab. Leidae, d. 9 Jul. 1780.

AD WESSELINGIUM.

ILLUSTRIS INGENII ET DOCTRINAE VIRO,

PETRO WESSELINGIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Qui tacitâ potius veneratione, et, quae aetatem decebat, verecundiâ, quam literis adhuc te colendum putavi, nunc sane mirifice laetor, eam mihi obtingere occasionem, quâ, quae mea sit tuarum virtutum admiratio, ingenue prae me ferre possim. Hanc enim jam olim in Germaniâ excitavit scriptorum tuorum lectio, et nunc in dies auget confirmatque tum repetita cum iis familiaritas, tum crebri de te sermones Tib. Hemsterhusii, doctoris mei. Cujus summi viri judicio quum tantum tribuere soleo, quantum nescio an hodie ullius: quemnam putes cumulum honorificentissimâ ejus de te sententiâ opinioni accedere meae? Verum cum tanta tua est modestia, ut laudes, quamquam maxime mereris, tamen aegre, quod scio, audias; mea autem infantia ea, ut te pro dignitate collaudare non satis commode possim: malo jam causam, quae me ad scribendum impulit, breviter enarrare. Scias igitur, Juvenem Nobiliss. *A. van der Mieden* exoptatum hîc nuntium attulisse, dum perhiberet, multas egregiasque penes te observationes esse, quae non

mediocre decus novae, quae paratur, Dionis Cassii editioni conciliarent. Vixdum acceperam hoc εὐαγγέλιον, cum Clar. *Reimarum* literis serio adhortarer, ne dimitteret tam opportunam occasionem, quâ tu, Vir Praestantissime, quem dudum tamquam vivam spirantemque Historiae bibliothecam suspeximus, bene de disertissimo Historico, bene de nobis Graeciae studiosis, bene denique de omni republicâ literariâ mereri posses. Obsecutus ille has, quas meis adjunxi, ad Te literas dedit; quibus si quid rescripseris, aut observationes reposueris, nemini tradideris rectius, quam mihi, cui frequens cum Viro Clar. literarum commercium intercedit. Interim eidem Juveni Nobiliss. ante duas tresve hebdomades ejusdem Doctissimi Viri Specimen Animadversionum in Dionem, ut ad te perferretur, dedi: quod quin recte acceperis, non est mihi dubitandum. Hactenus de amico meo: jam, quod pace tuâ fiat, breviter de me ipso. Si quando hora subseciva mihi superest, non visa est melius a me posse collocari, quam in Constantini Harmenopuli Epitome Juris, male hucusque habitâ, emendandâ. Addiderunt animum cum varia, quae aliunde accepi, subsidia, tum maxime quoddam Bibliothecae publicae exemplar, in quod Vir Graece doctissimus et Cujacianâ limâ perpolitus, *Gerardus Falkenburgius*, uberrimam variarum lectionum ex variis Codd. haustarum copiam congesserat: quarum ope hucusque obiter agens plures corruptissimosque locos restitui, varias lacunas supplevi, et scholia non mediocriter

auxi. Ad hunc igitur auctorem emendandum et exornandum, si quid tu, Vir magne, vel ex bibliothecâ tuâ, vel etiam amicorum contuleris, erit, pro quo gratias tibi agam habeamqne immortales. Vale, unicum reconditiorum literarum praesidium, mihique, si quando merear, fave. Dabam Lugd. Bat. d. 23 Jan. 1746.

VIRO SUMMO

PETRO WESSELINGIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Joh. Dan. Ritterus, vir doctissimus, quique solus hodie inter Germanos Ictos e fontibus sapit, in fratrum Verbeekiorum gratiam, me hortante, Heineccianam Juris Historiam Commentario illustravit. In quo opere quum clariss. Heineccii errores, qui plurimi sunt et foedissimi, libere, sed modeste tamen, notaverit; quidam, qui Heineccium falli non posse stulte putabant, et in his *Johannes van der Linden*, bibliopola doctus, sed, quod nosti, mire, αὐθάδης, id tam aegre tulerunt, ut eruditissimum praestantis viri Commentarium vel supprimendum ducerent, vel interpolandum. Ego vero, qui huic Viro cum multa alia debeo, tum hoc etiam, quod mihi primus tui admirationem injecit, non committendum putavi,

ut ejus operi quidquam detrimenti adferretur, ideoque Verbeekiis, quid agendum sit, dubitantibus, auctor fui, ut te, quo nemo melius de toto negotio judicare potest, arbitrum caperent. Accipies igitur MS. a Verbeekiis, eoque perlustrato, tuum nobis judicium candide imperties. Vale, Vir Summe. Dab. Leidae d. 14 Nov. 1747.

VIRO SUMMO

PETRO WESSELINGIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Mitto ad te Epistolam publice a me ad Cl. Valckenarium scriptam: quae si acerrimo judicio tuo probata fuerit, ingentem qualiscunque industriae fructum mihi cepisse videbor. Statui, donec aliunde meliora ad Harmenopulum ornandum subsidia afferantur, vetustissimis optimisque Poëtis medicinam facere. Itaque altera Epistola continebit Emendationes in Callimachum et Apollonium Rhodium ejusque Scholiasten: quorum si qua forte penes te est collatio, quo es Literas juvandi studio, eam nobiscum communicabis. Senties profecto, te hoc beneficium apud hominem haud ingratum collocasse. Dionem Cassium prope totum typis exscriptum audio. Ritterus, plurimis MSS. instructus, ad Jurisprudentiam Antejust.

edendam animum adjecit. Opus imprimetur Leidae in fol. Ernesti Callimacho egregiam operam navat. Quid tu in publicum bonum mediteris, scire discupio. Vale Vir summe, nosque, si mereamur, tuorum numero habeto. Dab. d. 6 Octobr. 1749 Leidae, ex aedibus Peckeri, bibliopolae.

VIRO SUMMO

PETRO WESSELINGIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Cum tu unus inter paucos sis, quibus me meaque omnia inprimis probari cupio, facere non potui, quin tenuem hunc libellum, et vix dignum oculis tuis ad te ablegarem. Recordabar adhuc singularis humanitatis, quâ priorem ejus partem excepisti: quae quidem tanta fuit, ut non solum totam eam perlegeris (quod ipsum in magnâ felicitatis parte ponendum existimo) sed et super quibusdam tuae animadversionis nonnihil mihi impertireris. Utinam denuo mihi tam felici esse liceret! Gauderem, sicubi aberraverim, a te in viam reductus.

Si quid est in bibliothecâ tuâ, quo Plato ornari posset, illud pro eximio tuo literas juvandi studio mihi haud denegabis. Constitui enim, primum

edere Timaei Lexicon Platonicum, et deinde afflictis aliquot Platonis locis suppetias ferre. Utrumque libellum excudent fratres Foulisii, typographi Glasgovienses, supra quam credi potest, Graece Latineque docti. Sed non amplius te morabor, hoc praesertim tempore, quo gravissimis negotiis distineris. Bene vale, Vir Maxime, meque, si dignum putes, ama. Dab. Lugd. Bat. d. 2 Febr. 1752.

VIRO SUMMO

PETRO WESSELINGIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Ex literis, quas ad Luchtmannum dedisti, laetus intellexi, Apparatum Herodoteum Parisiis recte ad te pervenisse. Sed cum nullam fasciculo adjectam epistolam repereris, visum est ex literis ad me datis ea tecum communicare, quae ad illius apparatûs historiam pertinere videantur. Sic igitur ad me perscripsit *Joannes Capperonnerius*, Vir Graece doctissimus, idemque summâ praeditus humanitate, cui, quidquid est hujus rei, acceptum referes: « *J'ai malheureusement oublié de* « *mettre sous le même enveloppe un mot que j'écri-* « *vois a M. Wesseling; je le priois de ne pas faire* « *usage d'une note que j'ai mise au bas de la se-*

« *conde page, ou j'explicois pourquoi je n'avois pas* « *continué a copier exactement les diverses leçons,* « *que Mrs. Melot et Geinoz avaient prises dans la* « *plus scrupuleuse exactitude. Chacun a sa manière* « *de travailler: moi, par exemple, je ne sais a quoi* « *bon remarquer qu'on lit dans les manuscrits* « βαρβαρουσι *pour* βαρβαροις, ἐνόμισε *pour* ἐνόμισεν. *Ce-* « *pendant comme je ne veux blesser personne, je* « *vous prie de dire à M. Wesseling de supprimer ab-* « *solument ma note. Mais au reste je peux l'assurer,* « *que je n'ai rien passé de ce qui pouvait contribuer* « *à l'éclaircissement du texte d'Herodote. Une autre* « *chose dont je le prie encore, c'est d'examiner avec* « *attention l'endroit des Pelasges et des Hellenes; il* « *a excité une grande dispute dans l'Academie,* « *ou les sentimens ont été partagés. Les rapports* « *du* τὸ μὲν *et* τὸ δὲ *ont été confesses, et de la on* « *s'est jeté dans les recherches sur l'origine des* « *deux peuples pour determiner la signification de* « *ces apodotiques.*" — Hactenus Clar. Capperonnerius. Caeterum impense gaudeo ac triumpho, Herodoti curam tibi, Vir Maxime, quasi divinitus esse delatam. Quanta hinc Graecis Literis, quanta historiae veteri lux oborietur? Equidem ab exteris amicis undique symbolas corrogo, quibus institutum tuum tam praeclarum ornetur. Et forte aliquid ad nos perveniet ex thesauro Meadiano. Eminentiss. Card. Quirinus dudum a me excitatus, Vaticanorum Codd. varietates prolixe liberaliterque promisit: id quod eumdem literis ad te datis confirmasse audio. Ad hunc prope-

diem librorum fasciculum sum dimissurus, cui si quid adjici velis, fac, ad Luchtmannum nostrum perferatur.

Levidense munusculum, Thalelaeum meum, aequi bonique consules. Nolim vero quisquam a me vel Harmenopulum, vel alia in hoc genere exspectet. Pertaesus enim Juris civilis, cui per plures annos operam dedi, rebus meis (id quod eventus ostendit) minime fructuosam, in posterum omne tempus Graecis Latinisque Literis et Historiae veteri tribuere constitui. Thalelaeo adjeci primum Timaei folium, adhuc in operarum manibus haerens; quod si tanti videatur, communicabis cum viris eruditissimis, Saxio et Bondtio. Vale, Vir Summe, meque, si merear, ama. Dab. d. 31 Mart. 1753.

VIRO SUMMO

PETRO WESSELINGIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Ego vero vellem, amicus noster, cujus ego in tractandis Codd. singularem fidem et accurationem non semel expertus sum, maxima minima de Herodoti Parisiensis margine descripsisset. Sed tamen quidquid jacturae fecimus, facili negotio poterit resarciri. Cum enim sub hujus anni finem,

ut animum laetissimo Regiae Bibliothecae pabulo expleam, ipsos Parisios adire constituerim, quoscunque Herodoti locos mihi designaveris, rursus cum editis committam, vel ipsum illud duumvirorum exemplar inde mecum ablatum in manus tuas tradam. Glossas illas Herodoteas, quas Montfauc. Bibl. Coisl. p. 485 signavit, reliquo apparatui adjectas esse putabam. Nunc cum ex literis tuis intelligam, nullum earum exemplum ad te pervenisse, diligenter curabo, ut quam primum in usus tuos describantur. Sunt enim vel ideo quantivis pretii, quod, posthabito Alphabeti ordine, contextûs ductum sequantur: unde tibi facile fuerit sagaci, quâ praeditus es, nare in corruptelarum cubilia penetrare. Penes me est aliud Glossarium vetustum, Comicorum inprimis auctoritatibus abundans, cujus specimen Montfauc. p. 481 dedit, ex quo glossas, quae ad Herodotum spectant, descripsi et his literis adjeci. Catalogi Bibliothecae D. Marci nulla adhuc Luchtmanno copia est. Equidem librum in Bibliothecâ publicâ excussi. Tres Herodoti afferuntur codices, seculi XV, unus membranaceus, duo chartacei. Ex membranaceo datur specimen duarum triumve paginarum. Pocockii librum tibi per Luchtmannum curavi: in quo putem plerasque editas esse Inscriptiones, quas Nobiliss. Van der Mieden et Antonius noster Askew secum ex Graecià attulerunt. Pluribus Epigrammatis jam medicinam feci: ex quibus speciminis loco adscribere liceat, quod statim pag. 2 affertur, et sic restituendum videtur:

Νυμφιδίου θαλάμοιο λιπὼν δυσπενθέα κόσμον,
Καὶ γονέων οἰκτρῶν δακρυόεντα δόμον
Κεῖμαι ἐς αὐχμηροὺς καὶ ἀλαμπέας ἄιδος εὐνὰς,
Εἴκοσι τέσσαρ' ἔχων Κασσιόδωρος ἔτη.
Ἀπροϊδὴς νοῦσος με συνηρπασ' ἐμοῖς γονέεσσι·
Νηπίαχον κούρην λείπω ὑπ' ἠέλιον.

Dudum aliquid meditor ad marmora Graeca: quod forte jam perfecissem, si omnes libri huc pertinentes ad manum essent. Sed invitatus occasione, facere non possum, quin Tuam, Vir Magne, sententiam eliciam de difficillimo titulo, qui est apud Murator. p. DCXLV. 4.

ΔΑΜΟΚΛΙΔΑΣ ΧΑΛΕΑ ΕΠΙ
ΑΛΚΙΠΠΟΥ ΝΕΙΚΑΣΑΣ.
ΤΟ ΠΑΙΔΙΚΟΝ ΚΗΛΗΔΑ
ΤΡΕΜΙΤΙΟΡΘΕΡΑ

Paulo correctior est apud Cyriac. p. 40, qui eum Lacedaemone reperit. In ultimis verbis explicandis aqua haesit ipsi sagacissimo Corsino, Dissert. V. post not. Graec. p. 94, nedum Muratorio. Fallor, aut vere conjeci, sic emendandum esse:

— — — — —
— — — ΝΙΚΑΣΑΣ
ΤΟ ΠΑΙΔΙΚΟΝ ΚΕΛΗΤΙ
ΑΡΤΕΜΙΔΙ ΟΡΘΕΙΑΙ.

Supple, δῶρον ἐχαρίσατο, vel ἀνέθηκε, ut passim. Sus, quod ajunt, Minervam, si tibi in memoriam revocarem Dianae Ὀρθείας vel Ὀρθίας apud Lacedaemonios cultum, et tanto opere celebratam ad ejus aram διαμαστίγωσιν. Minime omnium ig-

noras, quae hanc in rem ex veteribus observarunt Fabric. ad Sext. Emp. Hyp. III. 24. p. 179 et Davis. ad Cic. Tusc. Qu. II. 13. 27. Bene vale, Decus nostrum et amor, Wesselingi, nosque tuorum numero habeto. Viri amicissimi, Hemsterhusius et Alberti, te plurimum salutant. Dab. Leidae d. 14 April. 1753.

VIRO SUMMO

PETRO WESSELINGIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Ego vero bonarum literarum causâ mirifice gaudeo, exteros etiam eruditos, nominis tui famâ excitatos, tanta ad Herodotum ornamenta conferre, quanta quis optare potuisset, sperare non potuisset. Anglicanorum Codicum varietates amici nostri *Henrici Gally* operâ, puto, brevi ad te perventuras. Casauboni in Herodotum notas MSS. laudat Taylor praef. ad Lysiam p. VIII, quae haud dubie illae ipsae sunt, quas a Reverendo Gally exspectas. Ex Galliâ etiam novus nec ingratus nuntius de reperto Herodoti Breviario affertur. Sed exemplar illud, cui Geinozius et Melotus Variantes adscripserant, jam olim a me expetitum, rursus mihi, nescio quâ de causâ, negavit Melotus. Nuperrime eamdem rem, sed frustra itidem, per

Cl. Capperonnerium tentavi; ex cujus literis hic nonnulla subjicio. « *Quelque envie que j'aie* « *d'obliger Mr. Wesseling, je ne peux pas lui pro-* « *mettre de lui faire venir l'exemplaire sur le quel* « *Mrs. Geinox et Melot ont ecrit les variantes des* « *manuscrits du Roi. Je l'ai demandé sans pou-* « *voir l'obtenir. Mais au reste je vous prie d'assurer* « *Mr. Wesseling que je n'ai rien omis d'important et* « *que ce que j'ai cru devoir passer sous silence, se re-* « *duit à n'avoir pas copié* ἐβασίλευσε, *par exemple,* « *quand le manuscrit partoit* ἐβασίλευσεν τούτοις *pour* « τούτοισι, *ainsi des autres. C'est là la pure verité.* « *Or vous voyés que ces minuties ne corrigent point* « *la texte d'Herodote. Mr. Wesseling aura pourtant* « *gagné quelque chose. En recherchant ce que pou-* « *vait regarder Herodote dans notre catologue, j'ai* « *trouvé un petit manuscrit in* 8, *qui contient des* « *extraits de cet auteur, et que n'ont point colla-* « *tioné ces Messieurs. Je me propose de le faire;* « *il est vrai que cet abbreviateur ressemble a un* « *homme ivre. Il s'interrompt brusquement sur la* « *ressemblance de quelques mots et faute de pages* « *entieres, pour revenir en suite au premier re-* « *cit. Comme a l'examen j'y ai trouvé de fort* « *bonnes leçons; j'en tirerai le parti que je pour-* « *rai, et je me conformerai a ce qu'exige Mr. Wes-* « *seling, c'est a dire, que je ne passerai rien du* « *tout. Je lui demande seulement jusqu'aux beaux* « *jours, et je vous prie de l'assurer de mon de-* « *vouement.*" Hactenus ille. Si qua varians omissa est, quae tamen jactura facile a me resarciri

potest Parisiis, ubi futuram aestatem exigere constitui, (proficiscendi occasio quidem dilata est, sed non ablata); malim id duumvirorum incuriae, quam Capperonnerii tribuere, cujus fidem et accurationem ego in dies experior. Describit is in usus meos opus reconditâ plenum doctrinâ, Apollonii Dyscoli Grammaticam ineditam, ex quâ varia excerpta dederunt Salmasius in Solin., Kusterus ad Suidam, et nuper ex Vossianis schedis Reitzius. Sed haec ad Capperonnerianum apographum comparata sordes et quisquilias diceres. Timaeus noster dudum prodiisset, nisi moram attulissent librarii Vaticani, qui Eminentiss Quirini jussu Anonymi cujusdam Lexicon Platonicum describunt cum nostro junctim edendum. Interea, quando ita jusseras, aliquot folia ad te mitto, hac tamen lege, ut acerrimam in notas meas crisin exerceas, mihique castigationes tuas, quibus in Addendis locus dabitur, perscribas. Vale dulce nostrum et literarum decus, amoremque mihi tuum perpetuo conserva. Dab. Leidae d. 16 Febr. 1754

VIRO SUMMO

PETRO WESSELINGIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Non dubito, quin recte ad te pervenerint Excerpta Codd. Anglicanorum, a praestantissimo *Gally* ad nos transmissa. Certe Leidâ discedens Luchtmannio mandavi, ut fasciculum mihi inscriptum solveret, indeque promeret, quae ad te pertinerent. Jam aliam Herodoti Collationem accipis, minime exspectatam! Capperonnerius noster, Vir et accuratâ Graecae linguae scientiâ et singulari morum candore praeditus, et quod in ejus laude pono, tuarum virtutum admirator, cum comperisset, Herodoti codicem in monasterio Rhemensi latere, petiit a monachis, qui Graece scirent, ut illum codicem in tuam gratiam cum editis conferrent. Monachorum autem tanta fuit humanitas, ut ipsum MStum Rhemis Parisios Capperonnerio conferendum mitterent. Quo nihil fieri poterat rectius. Quantâ enim cum fide amicus noster hanc provinciam administravit, ipse testis sum, qui saepe Variantes enotanti interfui. Restant igitur Excerpta Herodoti in Bibliothecâ Regiâ conferenda, quorum lectiones hac ipsâ hieme ad te mittentur. Rhemensi Collationi adjeci Kusteri Exa-

potest Parisiis, ubi futuram aestatem exigere constitui, (proficiscendi occasio quidem dilata est, sed non ablata); malim id duumvirorum incuriae, quam Capperonnerii tribuere, cujus fidem et accurationem ego in dies experior. Describit is in usus meos opus recondità plenum doctrinâ, Apollonii Dyscoli Grammaticam ineditam, ex quâ varia excerpta dederunt Salmasius in Solin., Kusterus ad Suidam, et nuper ex Vossianis schedis Reitzius. Sed haec ad Capperonnerianum apographum comparata sordes et quisquilias diceres. Timaeus noster dudum prodiisset, nisi moram attulissent librarii Vaticani, qui Eminentiss Quirini jussu Anonymi cujusdam Lexicon Platonicum describunt cum nostro junctim edendum. Interea, quando ita jusseras, aliquot folia ad te mitto, hac tamen lege, ut acerrimam in notas meas crisin exerceas, mihique castigationes tuas, quibus in Addendis locus dabitur, perscribas. Vale dulce nostrum et literarum decus, amoremque mihi tuum perpetuo conserva. Dab. Leidae d. 16 Febr. 1754.

VIRO SUMMO

PETRO WESSELINGIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Non dubito, quin recte ad te pervenerint Excerpta Codd. Anglicanorum, a praestantissimo *Gally* ad nos transmissa. Certe Leidâ discedens Luchtmannio mandavi, ut fasciculum mihi inscriptum solveret, indeque promeret, quae ad te pertinerent. Jam aliam Herodoti Collationem accipis, minime exspectatam! Capperonnerius noster, Vir et accuratâ Graecae linguae scientiâ et singulari morum candore praeditus, et quod in ejus laude pono, tuarum virtutum admirator, cum comperisset, Herodoti codicem in monasterio Rhemensi litteris petiit a monachis, qui Graece scirent, ut illum codicem in tuam gratiam cum editis conferrent. Monachorum autem tanta fuit humanitas, ut ipsum MStum Rhemis Parisios Capperonnerio conferendum mitterent. Quo nihil fieri poterat rectius. Quantâ enim cum fide amicus noster hanc provinciam administravit, ipse testis sum, qui saepe Variantes enotanti interfui. Restant igitur Excerpta Herodoti in Bibliothecâ Regiâ conferenda, quorum lectiones hac ipsâ hieme ad te mittentur. Rhemensi Collationi adjeci Kusteri Exa-

men Gronovianae editionis, ex Bibl. Regiâ depromtum. Forte id ipsum cum Clerico communicavit. Sed cum Clerici liber non ad manum esset, examinare non licuit. De Regiorum Codd. aetate cognoscere poteris ex catalogo MStorum Regiorum nuper impresso. Prioribus certe Stephani uti potuerunt. Nam illorum jam tempore in Regiâ Bibl. adservatos fuisse, mihi affirmavit Sallierius. De Bouhierii Herodoto spes omnis decolavit. Petieram ab Abbate Oliveto, qui quondam familiarissime usus est Bouhierio, ut scriptis ad illustris Praesidis generum *de Bourbonne* literis, illum tibi codicem impetraret. Is vero ita respondit: « *Venant au fait de remarques j'aurais* « *l'honneur de vous dire que je ne crois pas devoir* « *mettre au jour ce que j'ais de Mr. le Pr. Bouhier* « *relativement à cet objet. C'est peu de chose par* « *soy même, et d'ailleurs il m'a dit luy même,* « *que les Dissertations sur Herodote contenoient ce* « *qu'il avait le plus travaillé a cet egard. J'ay même* « *examiné avec le Père Oudin les corrections qu'il* « *avoit mises en marge de son auteur, et le bon* « *Jesuite n'etoit pas toujours de l'avis de mon* « *beaupère.*" Hactenus. Si quid praeterea in Galliae bibliothecis reperero, quod Herodotum ornare possit, illud omne tuum erit. Equidem in praesenti bibliothecas naviter excutio. De Regiâ nihil tam magnifice dici potest, quod non ejus praestantia superet: in quam quotidie, velut in Oceanum fluvii, minores bibliothecae, praesertim Codd. MSS., undique confluunt. His ipsis diebus

nescio ex quo Burgundiae angulo ei illatum est κειμήλιον pretiosissimum, nempe ingens cista referta MSStis Claudii Salmasii. Nihil autem adeo superavit exspectationem meam, quam monasterii S. Germani bibliotheca, quâ quindecim mille Codd. MSS. magnam partem vetustissimi continentur. In hac reperi Auctoris incerti Λέξεις Ῥητορικὰς, quas si apud me videris, vereor ne ipsius Harpocrationis Lexico praeferendas putes. Is quidem, aut fallor, aut Aristotelis πολιτείαν τῶν Ἀθηναίων cum pulvisculo exhausit. Vix credas, quantum lucis Juri Attico hinc oborturum sit. Sallierius et Capperonnerius operam suam Plutarcho addixerunt. Incredibilis paene apparatus est, quem hunc in finem ex omnibus Europae bibliothecis congesserunt. Doctissimis Galliae viris merito accensendus est Melotus, cujus veteris Historiae et Geographiae peritiam saepe in familiari sermone sum admiratus. Is Antonini Itinerarium ex editione tuâ cum sex Codd. MSS. contulit, multaque observavit egregia, quae, si editio tua iteranda sit, se tecum communicaturum pollicetur. In universum dicere licet, meliores literas hic rursus caput efferre, negligique futiles libellos, vernaculo sermone scriptos. Utinam aliquis vel Gallorum vel nostrorum Belgarum Straboni medicas manus adhibeat. Abundant hîc bibliothecae Codd. praestantissimis, quorum ope pleraeque lacunae suppleri possunt. Dionis etiam Codices hic reperi ipsis Vaticanis meliores, quos nollem neglexisset Reimarus noster. Monstravit mihi Sallierius obiter locos bene mul-

tos, ex quibus nova etiam editio insigniter locupletari potest. Sed te diutius fortasse, quam par est, detineo. Vale igitur, Vir Maxime, meque tuorum numero habeto. Dab. Parisiis d. 24 Dec. 1754.

VIRO SUMMO

PETRO WESSELINGIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Cum nuper essem apud Cl. Melotum, forte incidit sermo de Herodoti Variantibus ex Codd. Regiis excerptis, cumque dicerem, tibi aliquando subnatam esse suspicionem, non omnes MStorum istorum varietates tecum esse communicatas, ille affirmavit, sibi quoque, posteaquam doctissimi Capperonnerii apographum vidisset, eâ de re dubium esse subortum. Res ita se habet. Geinozius et Melotus omnes codicum Variantes in editionis Gronovianae marginem contulerant: atque hae omnes bonâ fide sunt transscriptae. Verum si codices Regii cum lectione a Gronovio in imam marginem conjecta convenirent, iidem viri docti satis habuerunt istam lectionem notare litterâ *a*, *b*, vel *c* minute scriptâ. Hoc vel effugit amici nostri oculos, vel quod potius credam, omnes illas infimae marginis lectiones, licet a Regiis Codd.

confirmatas, librariorum sordes et quisquilias putavit, indignas adeo, quae in editione tuâ reperterentur. Ego vero quum has lectiones saepe egregias deprehenderem, et plane ejusmodi, ut iis solis codicis Medicei auctoritas haud parum convelli possit, omnes quam potui diligentissime descripsi ex exemplari Melotiano. Codici A, emto 1688, ideoque Stephanis haud inspecto, mirum quantum tribuit Melotus. Curam, quâ scriptus est, satis lectiones testantur inde decerptae. Characterum autem et membranae pulchritudo tanta est, vix ut ars typographica dederit, quod cum hoc codice comparari posset. Est etiam quartus Herodoti Codex in illâ bibliothecarum omnium reginâ, nondum collatus, sed recens valde, nec magni aestimatus Meloto. Sunt praeterea hic tres Codd. vitae Homeri, ex quibus praestantiorem, si jusseris, cum edito textu committam. Cum nuper Grammaticos ineditos excuterem, inter alia descripsi ἀνάφαλον Glossarium, quod postea Herodoteum esse intellexi. Quod cum locupletius edito sit, nec dum tecum communicatum, Variis Lectionibus praemisi. Galli vellent, plane omitteres Gronovii Commentarium, futilem illorum judicio et molestum. Sed de Reiskianis quid statuisti? Hujus ut ego Anthologiam, sic fortasse tu correctiones Herodoteas pro ineditis habebis. Certe hujus bestiae ferocia et veteres auctores corrumpendi libido haud rectius quam silentio et contemtu vindicari potest. Anglicanum Herodoti apparatum te jam accepisse puto. Petiit a me hu-

manissimus Gally, ut tibi moram excusarem. Nam quominus Askejanus Codex citius conferretur, primum uxoris Cl. Askew morbus, deinde mors insecuta impedimento fuit.

Equidem in dies plura ex MStis, Scholiastis praesertim et Lexicographis, eruo, quae Graecis Literis et antiquitati omni insigne lumen allatura sunt. Vel his diebus sub prorsus diverso titulo Ammonium reperi, edito infinitis partibus locupletiorem, atque emendatiorem. Exemplum, quod primum in oculos incurrit, adponere juvat. Θάρσος καὶ θράσος διαφέρει, ὡς ἀρετὴ κακίας. τὸ μὲν ἐπὶ ἀρετῆς τάσσεται, τὸ δὲ ἐπὶ κακίας, ὅθεν οἱ παλαιοὶ ὡρίσαντο οὕτως· θάρσος ἐστὶ ψυχῆς παράστημα μετὰ λογισμοῦ· θράσος δὲ ἡ ἀλογιστία. ὅθεν Εὐριπίδης ἁμαρτάνει λέγων, οὐ θράσος τὸ δ' ἔστιν· οὐ δὲ τόλμη κακῶς φίλους δρᾶν ἐναντίως βλέπειν. Vide jam, quam jejune Ammonius Aldinus (Valckenarianus haud ad manum est): Θράσος καὶ θάρσος διαφέρει· θράσος μὲν γὰρ ἔστιν ἡ ἄλογος ὁρμή, θάρσος δὲ, ἔλλογος ὁρμή. Quae Epitomatoris esse, non Ammonii, manifestum est. Comes *Caylus*, antiquarius pereruditus, cujus nosti librum Gallicum de Antiquit. Aegypt. et Graecis, brevi editurus est syllogen Marmorum Graecorum, Regis jussu huc ex Graeciâ allatorum. *Lebeau*, priscae vir doctrinae et Latine scribendi laude excellens, ingens parat opus de Legionibus Romanis. Caeterum, Vir Magne, etiam atque etiam a te peto, ut, si quid tibi in literis profecisse videar, aut si dignus favore et benevolentiâ tuâ, sociatâ cum Hemsterhusio operâ, me in lu-

confirmatas, librariorum sordes et quisquilias putavit, indignias adeo, quae in editione tuâ reperterentur. Ego vero quum has lectiones saepe egregias deprehenderem, et plane ejusmodi, ut iis solis codicis Medicei auctoritas haud parum convelli possit, omnes quam potui diligentissime descripsi ex exemplari Melotiano. Codici A, emto 1688, ideoque Stephanis haud inspecto, mirum quantum tribuit Melotus. Curam, quâ scriptus est, satis lectiones testantur inde decerptae. Characterum autem et membranae pulchritudo tanta est, vix ut ars typographica dederit, quod cum hoc codice comparari posset. Est etiam quartus Herodoti Codex in illâ bibliothecarum omnium reginâ, nondum collatus, sed recens valde, nec magni aestimatus Meloto. Sunt praeterea hic tres Codd. vitae Homeri, ex quibus praestantiorem, si jusseris, cum edito textu committam. Cum nuper Grammaticos ineditos excuterem, inter alia descripsi ἀνάφαλον Glossarium, quod postea Herodoteum esse intellexi. Quod cum locupletius edito sit, nec dum tecum communicatum, Variis Lectionibus praemisi. Galli vellent, plane omitteres Gronovii Commentarium, futilem illorum judicio et molestum. Sed de Reiskianis quid statuisti? Hujus ut ego Anthologiam, sic fortasse tu correctiones Herodoteas pro ineditis habebis. Certe hujus bestiae ferocia et veteres auctores corrumpendi libido haud rectius quam silentio et contemtu vindicari potest. Anglicanum Herodoti apparatum te jam accepisse puto. Petiit a me hu-

manissimus Gally, ut tibi moram excusarem. Nam quominus Askejanus Codex citius conferretur, primum uxoris Cl. Askew morbus, deinde mors insecuta impedimento fuit.

Equidem in dies plura ex MStis, Scholiastis praesertim et Lexicographis, eruo, quae Graecis Literis et antiquitati omni insigne lumen allatura sunt. Vel his diebus sub prorsus diverso titulo Ammonium reperi, edito infinitis partibus locupletiorem, atque emendatiorem. Exemplum, quod primum in oculos incurrit, adponere juvat. Θάρσος καὶ θράσος διαφέρει, ὡς ἀρετὴ κακίας. τὸ μὲν ἐπὶ ἀρετῆς τάσσεται, τὸ δὲ ἐπὶ κακίας, ὅθεν οἱ παλαιοὶ ὡρίσαντο οὕτως· θάρσος ἐστὶ ψυχῆς παράστημα μετὰ λογισμοῦ· θράσος δὲ ἡ ἀλογιστία. ὅθεν Εὐριπίδης ἁμαρτάνει λέγων, οὐ θράσος τὸ δ' ἔστιν· οὐ δὲ τόλμη κακῶς φίλους δρᾶν ὄντας ἐναντίως βλέπειν. Vide jam, quam jejune Ammonius Aldinus (Valckenarianus haud ad manum est): Θράσος καὶ θάρσος διαφέρει· θράσος μὲν γὰρ ἔστιν ἡ ἄλογος ὁρμή· θάρσος δὲ, ἔλλογος ὁρμή. Quae Epitomatoris esse, non Ammonii, manifestum est. Comes *Caylus*, antiquarius pereruditus, cujus nosti librum Gallicum de Antiquit. Aegypt. et Graecis, brevi editurus est syllogen Marmorum Graecorum, Regis jussu huc ex Graeciâ allatorum. *Lebeau*, priscae vir doctrinae et Latine scribendi laude excellens, ingens parat opus de Legionibus Romanis. Caeterum, Vir Magne, etiam atque etiam a te peto, ut, si quid tibi in literis profecisse videar, aut si dignus favore et benevolentiâ tuâ, sociatâ cum Hemsterhusio operâ, me in lu-

VIRO SUMMO

PETRO WESSELINGIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Non dubito, quin recte ad te pervenerint Excerpta Codd. Anglicanorum, a praestantissimo *Gally* ad nos transmissa. Certe Leidâ discedens Luchtmanno mandavi, ut fasciculum mihi inscriptum solveret, indeque promeret, quae ad te pertinerent. Jam aliam Herodoti Collationem accipis, minime exspectatam! Capperonnerius noster, Vir et accuratâ Graecae linguae scientiâ et singulari morum candore praeditus, et quod in ejus laude pono, tuarum virtutum admirator, cum comperisset, Herodoti codicem in monasterio Rhemensi latere, petiit a monachis, qui Graece scirent, ut illum codicem in tuam gratiam cum editis conferrent. Monachorum autem tanta fuit humanitas, ut ipsum MStum Rhemis Parisios Capperonnerio conferendum mitterent. Quo nihil fieri poterat rectius. Quantâ enim cum fide amicus noster hanc provinciam administravit, ipse testis sum, qui saepe Variantes enotanti interfui. Restant igitur Excerpta Herodoti in Bibliothecâ Regiâ conferenda, quorum lectiones hac ipsâ hieme ad te mittentur. Rhemensi Collationi adjeci Kusteri Exa-

men Gronovianae editionis, ex Bibl. Regiâ depromtum. Forte id ipsum cum Clerico communicavit. Sed cum Clerici liber non ad manum esset, examinare non licuit. De Regiorum Codd. aetate cognoscere poteris ex catalogo MStorum Regiorum nuper impresso. Prioribus certe Stephani uti potuerunt. Nam illorum jam tempore in Regiâ Bibl. adservatos fuisse, mihi affirmavit Sallierius. De Bouhierii Herodoto spes omnis decolavit. Petieram ab Abbate Oliveto, qui quondam familiarissime usus est Bouhierio, ut scriptis ad illustris Praesidis generum *de Bourbonne* literis, illum tibi codicem impetraret. Is vero ita respondit: « *Venant au fait de remarques j'aurais* « *l'honneur de vous dire que je ne crois pas devoir* « *mettre au jour ce que j'ais de Mr. le Pr. Bouhier* « *relativement à cet objet. C'est peu de chose par* « *soy même, et d'ailleurs il m'a dit luy même,* « *que les Dissertations sur Herodote contenoient ce* « *qu'il avait le plus travaillé a cet egard. J'ay même* « *examiné avec le Père Oudin les corrections qu'il* « *avoit mises en marge de son auteur, et le bon* « *Jesuite n'etoit pas toujours de l'avis de mon* « *beaupère.*" Hactenus. Si quid praeterea in Galliae bibliothecis reperero, quod Herodotum ornare possit, illud omne tuum erit. Equidem in praesenti bibliothecas naviter excutio. De Regiâ nihil tam magnifice dici potest, quod non ejus praestantia superet: in quam quotidie, velut in Oceanum fluvii, minores bibliothecae, praesertim Codd. MSS., undique confluunt. His ipsis diebus

gationibus. Multa nobis et incredibilia Itali venditant de MSS. in Herculanei ruderibus repertis; quae hîc non minus, quam Carminii Falconis impudentissima mendacia videntur. Sed brevi nos de totâ hac re erudiet Clar. Barthelemy, rei numismaticae et antiquitatis omnis scientissimus, qui sumtibus Regiis itinere Neapolim facto, et Antiquitatis recens detectae supellectilem, et Codd., si qui sint, MStos examinabit. Vale, Vir Summe, meque, quod facis, ama. Dab. Parisiis d. 6 Jun. 1755.

VIRO SUMMO

PETRO WESSELINGIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Callimachi editionem, Ernesti ingenio perpolitam, brevique typis exscribendam, multis luculentisque fragmentis, quae ex libris MStis eruere licuit, insigniter augebo. Praeter alios scriptores ineditos, unde Callimachea excerpsi, Etymologum quoque ἀνέκδοτον excussi in Biblioth. Regiâ; cujus cum Excerpta apud me vidisset Hemsterhusius, hunc per omnia, mihi affirmavit, cum Ultrajectino vestro convenire. Sed quum Regius Codex fragmenta illa saepe foedissimis vitiis inquinata exhibeat; velim, nisi grave est, loca, quae designavi, ex Ultrajectino instaures. Sunt autem haec fere: Ἀσφάραγος,

Εἰδυλὶς, Ἐχίνος (ubi bis, ni fallor, laudatur Callimachus) Ἠλιτόμενος, Μάταιος, (ubi sic ex conjecturâ scribo, πουλὺ θαλασσαίων μυνδότεροι νεπάδων) Παλαιάδεω. Eâdem operâ, quaeso, me doceas, qualis obtineat lectio in Orphei fragmento, quod, v. Μίνθη affertur. In Hesychii parte alterâ haud pauca reperio, quae tibi in notis ad Herodotum vix videantur negligenda. Sed satius putavi, tibi per duos menses ipsius libri copiam facere, quam excerpere ea, quae huc pertinerent. Utinam negotium, quod tibi cum Luchtmannis est, aequis conditionibus transigi posset. Certe dolendum est, praestantissimi Operis editionem hoc pacto retardari. Vale, Vir Maxime, et, quod facis, me ama. Salutem tibi impertit Hemsterhusius noster. Dab. Leidae d. 28 Maji 1756.

VIRO SUMMO

PETRO WESSELINGIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Magno me gaudio affecerunt literae eae, quibus mihi delatum munus gratularis. Quid enim mihi honorificentius obtingere potest, quam te, tantum virum, honore meo laetari? Itaque peto a te, vir eximie, ut hunc tuum in me animum mihi per-

petuo conserves. Equidem, quantum potero, efficiam, ne te unquam hujus tui erga me amoris poeniteat. De Callimachi fragmentis mecum communicatis multum te amo, et, ut reliqua etiam excerpas, per Musas communes peto. Illa, ὀλόψατο χαιτῶν, fortasse fluxerunt ex Hymno in Dian. v. 77. In altero Callimachi fragmento correxeram: αἱ Νασαμώνων αὔλια. — Quod tu affers, ingeniosum est, et valde blanditur. Sed longe pulcherrimam illam censeo conjecturam, quâ in Nicaeneti Epigr. reponis, Ἡρῶσσαι Λιβύων, Χαρίτων ὄρος. Callimachi autem ille locus p, 402, quem Nicaenetus expressit adhuc foedo mendo inquinatus est; quod hoc modo abstersi:

Ἢ ὑπὲρ ἀσταλέων Χαρίτων λόφον.

Elegans verbum solus, ni fallor, Hesychius conservavit. Ἀσταλής· μὴ περιβεβλημένος. Vel absque Hesychio Analogia illud tutum praestaret. De *Gratiis nudis*, scis, omnia esse pervulgata. Caeterum si tibi Epigrammatis quibusdam ad Herodotum opus est, velim de iis per literas ad me referas. Nam in Reiskianâ Anthologiâ nulla est pagina, quae non manifesta stuporis, temeritatis et malae fidei indicia praebeat. Equidem, praeter Scaligeri et Vossii schedas, possideo etiam omnium accuratissimas Salmasii, Guyeti atque Menagii, quas parvo pretio mihi Parisiis comparavi. In Salmasianis Nicaeneti Epigramma elegantius sic legitur:

Ἡρῶσσαι Λιβύων, ὄρος ἄκριτον αἴτε νέμεσθε
Αἰγίδι καὶ στρεπτοῖς ζωσάμεναι θυσάνοις,
Τίνα θεῶν, δέξασθε Φιλήτιδος ἱερὰ ταῦτα

Δράγματα καὶ ξηροὺς ἐκ καλάμης στεφάνους.
Ἀσσ ἀπὸ λικμητοῦ δεκατεύεται. ἀλλὰ καὶ οὕτως
Ἡρῶσσαι Λιβύων χαίρετε δεσποτίδες.

Guyetus more suo notaverat:

ὄρος] τὸν Ἄτλαντα.
ἄκριτον] μέγα
ἀπὸ λικμητοῦ] *post ventilationem.*

Vale, Vir Summe, meque saepe literis tuis bea. Dab. Leidae d. 27 Febr. 1757.

De Herodoteo negotio puto Hemsterhusium brevi ad te scripturum. Basilius Scholiastes MS. Gregorii Nazianz. in Cod. Vossiano, Orat. εἰς τὰ ἐγκαίνια haec habet: ἵνα μὴ ἐξίτηλα] ὅσον ἀμαυρὰ καὶ ἔξω τοῦ τεθηλέναι καὶ θάλλειν εἶναι. ἐκ τῶν Ἡροδότου παρῆκται.

Forte Gregorius expressit locum init. Historiae. Ipse Gregorius mihi non est ad manum. Tu videris.

VIRO SUMMO

PETRO WESSELINGIO

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Equidem, quibus verbis tibi gratias agam, et gaudium meum significem, non reperio. Nam majus a te et in literas, et in nos, qui eas colimus, be-

neficium profectum est, quam ut ejus magnitudo verbis aequari possit. Variae quidem laudes dudum nomen tuum immortalitati commendarunt: sed ex omnibus haec maxime tibi propria laus futura est, ut quemadmodum N. Heinsius veterum poëtarum, sic tu veterum historicorum sospitator uno omnium ore praediceris. Faxit Deus, ut hac tam illustri laude diu superstes fruaris, eamque tibi praestet senectutis viriditatem, ut caeteris, quae praeclare meditata habes, nos beare possis. Dionysium Periegetem, tibi facile erit, aliquot mensium curâ expolire. Nam unus omnium regnas in veteris Geographiae scientiâ, et cum crebrâ lectione, tum publicâ, ut audio, enarratione in summam hujus poëtae familiaritatem pervenisti. Mitto ad te eruditissima in eum scholia MSS., quae Eustathii notitiam effugisse videntur. Nam si illa oculis unquam usurpasset, omnia cum pulvisculo, qui hominis mos est, exhausisset. Lacuna, quae est in initio alterius Cod. Regii, forte suppleri poterit e Codice Gudiano, nunc Bibliothecae Guelpherbytanae. Certe ex ejus descriptione, quae est in Catal. Gudiano p. 541, colligere mihi videor, Gudianum a Regio nihil differre. Multa in Dionysium collegerat *Gavellus*, cui ab Hemsterhusio paraphrasis inedita, a D'Orvillio Variantes trium Codicum, ab aliis alia erant suppeditata. Hunc apparatum, quem, me auctore, a Gavelli heredibus sibi redemit Ampl. Meermannus, simulatque jusseris, habebis. Accepi his diebus literas a Rev. *Gally*, quibus petit, ut Herodoti exemplaria sibi

et Askewio destinata ad librarios Londinenses *Becket et de Hondt* mittantur. Vale, Vir summe, mihique singularem tuum amorem conserva. Dab. Leidae d. 31 Aug. 1763.

PETRO WESSELINGIO

Viro Celeberrimo mihique amicissimo,

s. p. d.

DAVID RUHNKENIUS.

Clar. Voordam munere sese suo abdicaturum narrant. Itque id mihi sumo, ut tibi Virum commendem, qui Academiae Rheno-Trajectinae honori et ornamento futurus sit. Hic autem est ille tibi bene cognitus Ritterus, Professor Historiarum Vitembergensis, cujus res familiaris calamitatibus bellicis tantam jacturam fecit, ut pro attritâ fere habenda sit. Ipse literis ad me datis testatus est, se in terrâ nostrâ, si vocaretur, professorium munus grato animo accepturum esse. Qualis ac quantus vir sit, ejus scripta abunde declarant. Equidem certe, qui in Jure Civili non plane hospitem me esse, deque eo quodammodo judicare me posse arbitror, ex animi sententiâ affirmo, neminem alium hodieque existere, qui ejusmodi Commentarium conscribere queat, qualem ille in Novellas Constitutiones Theodosii, Martiani, Majorani, post Codicem Theodosianum *edidit. Quid multa? Ritterus*

est sine dubio summus nostrâ aetate Ictus in Juris prudentiâ elegantiore. *Tum quod ad ipsius mores attinet, illi ex omni parte probi sunt. Annos* 47 *vel* 48 *natus est. Plura his non addam, quod mihi persuasum est, te tuâ sponte Rifteri meritis justum honorem habiturum, eumque prae aliis commendaturum esse. — Propediem Ultrajectum veniet juvenis illustris,* Comes de Werther, *ex ditissimâ ac potentissimâ familiâ Germaniae oriundus, idemque Ritteri atque Ernesti discipulus. Primum Leidam venire sibi proposuerat: verum deinde, quia hîc* Jus publicum *nunc non docetur, quod ille in primis discere cupit, consilium suum mutavit, et, me auctore, ad te se conferet. — Callimachus Ernesti fere ad finem perductus est. Hujus autem negatu unâ cum communi amico nostro Hemsterhusio in Callimachi fragmentis illustrandis versor. Quo factum est, ut Herodotum legere nondum potuerim.* Arbitrum tamen te capiam conjecturae, Lib. IV. c. 34, αἱ μὲν, πρὸ γάμου πλόκαμον ἀποταμνόμεναι. Mihi expungenda videntur verba πρὸ γάμου, quae orta sint ex διττογραφίᾳ vocis πλόκαμον. Nec habuit Valla in Codice suo. Eodem libro c. 79, διεπρήστευσε τῶν τις Βορυσθενειϊτέων. Nugas agit Gronovius, hanc lectionem defendens. Certissima emendatio est ἐδρηπέτευσε. Verbo δρηπετεύειν, ni fallor, alibi etiam utitur.

Vale, Vir Summe, et me amare perge. Leidae d. 26 April. 1760.

PETRO WESSELINGIO,

Viro Celeberrimo,

s. p. d.

DAVID RUHNKENIUS.

Cum apud Hemsterhusium essem, textum, quem vocant, Herodoti typis excusum esse vidi. De quo peracto opere, cujus praemium sempiterna gloria erit, ex animo tibi gratulor. Atque licet tu optime curaveris, ut in hac novâ editione nihil omnino desideretur, tamen me ob novas occupationes meas symbolas nullas conferre potuisse, id me profecto taedet pigetque. Parisiis ex Cod Regio 2766 *descripsi* Scholia inedita in Homerum. *Isti autem Codici praefixa erat* Vita Homeri, Herodoto auctore, *quam contuli cum editâ, quod bonae lectiones in illâ inerant, tibique misi. Hoc tu oblitus esse videris. Si forte literas meas, quarum exemplum non feci, servaveris, collationem memoratam in iis invenies. In Herodoto vocem ἀπαρτὶ invenire non potuisti:* sed Grammaticus MS. Bibl. Sangermanensis *propius indicat locum, quem ista vox olim in Herodoto occupaverit:* Ἀπαρτὶ παρ' Ἡροδότῳ σημαίνει τὸ ἀπηρτισμένως καὶ ἀκριβῶς. ἀπὸ τούτου εἰσὶν σταδίοι χίλιοι ἀπαρτὶ εἰς τὸν Ἀραβικὸν κόλπον. Idem Grammaticus haec habet: Αὐθέκαστα, αὐτὰ τὰ γενόμενα, οἷον ἀκριβῶς καὶ συντόμως καὶ ἀποτόμως. καὶ λόγοι αὐθέκαστοι, οἱ σαφεῖς καὶ σύντομοι, ἢ οἱ ἀληθεῖς.

Ηρόδοτος δὲ διαλύων φησὶν αὐτὰ ἕκαστα, οἷον αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν. *Hoc in Addendis exponi potest. Et quum te nihil agere non posse abunde notum sit, equidem scire aveo, quem scriptorem post Herodotum tractare tibi proposueris. Quodsi enim in Dionysio Periegete studium tuum forte collocare velis, a me tot subsidia accipere poteris, ut eas aliunde conquirere minime opus sit. Ante hos paucos dies magnum apparatum ad Apollonium Rhodium illustrandum Dresdam Heynio misi, qui illum scriptorem denuo edere in se recepit. Hunc virum juvenem non aliunde novi, nisi ex Tibullo et Epicteto, in quibus edendis ita versatus est, ut nemo in Germaniâ, excepto Ernesto, id melius facere queat. Atque ideo etiam laetor, me huic juveni aliquâ ex parte prodesse potuisse. Quum enim Nobil. Munchusius mihi, defuncto Gesnero, cathedram Goettingensem luculentissimis conditionibus obtulisset, at ego vero illam accipere recusassem; Heynium commendavi, qui in illâ statim collocatus est.—Misi item Parisiis tibi* collationem fragmenti de Nili incrementis. *Quae si forte in itinere interierit, istam jacturam resarcire possumus. Hemsterhusius bene valet, salutemque tibi impertit.* Ad ceteros labores meos accessit cura Hesychii. *Vale, Virorum optime!* Leidae d. 19 Nov. 1762.

PETRO WESSELINGIO

Viro Clarissimo et Carissimo,

s. p. d.

DAVID RUHNKENIUS.

Quoties Capperonnerius ad me scribit, toties quoque a me petit, ut apud te efficere studeam, ut indotatus non maneat, verum exemplar Herodoti a te dono accipiat. Si igitur adhuc exemplaria quaedem penes te sint, majorem in modum te oro rogoque, ut mihi unum mittas, quod ad Capperonnerium transferendum curem. Nam licet fortasse tale donum non meruisse tibi videatur, fac tamen illud, quaeso, literarum gratiâ. Successit Clar. Sallierio, et potest bonarum artium doctrinarumque studiosis magnae utilitati esse, et cum aliis nostratium, tum nobismet ipsis, in primis MStorum collationibus discribendis multum prodesse. — Te operam tuam in emendando et illustrando Dionysio Periegete collocare voluisse speraveram, praesertim quum id facili negotio a te fieri posse persuasum haberem. Sed ex literis tuis ad Hemsterhusium spem nostram vanam fuisse intellexi. Si Scholiastae inediti lectio tibi satisfecerit, tuque eâ satiatus sis, velim illum datâ opportunitate mihi remittas. Habesne etiam aliquid in scriniis tuis, quod ad Rutilium Lupum de Figuris *emendandum pertineat? Egregia illa* veterum Oratorum fragmenta, *quae hic scriptor solus nobis servavit, me impule-*

runt, ut illum denuo ederem. Me, exceptis quatuor vel quinque locis, omnia alia feliciter emendasse opinor. Pag. 6. edit. Pith. Hyperidis fragmentum occurrit, quod ita legam: « *Quid a me saepius his verbis de meo officio requiris? Scripsisti, ut servis libertas detur? Scripsi, ne liberi servitutem experirentur. Scripsisti, ut exules restituerentur? Scripsi, ut ne quis exilio afficeretur. Leges igitur, quae prohibeant haec, non legebas? Non poteram, propterea quod literis earum arma Macedonum opposita obficiebant.*" — Fundus emendationis est Longinus p. 117, ubi Tollius idem fragmentum tentavit.

Pag. 8. ita emendo: « *et tum denique magis illustratur, ita ut fecit Dinarchus.*" Quae subjiciuntur Dinarchi verba, nondum expedio. Sed ejus nomen etiam reponendum est p. 12, ubi nunc vulgatur Timarchus.

Pag. 9. est pulcherrimum fragmentum Lyconis, non rhetoris, sed philosophi, ut opinor, in cujus initio sic lego: « *Nam simulatque ex prioris diei nimia cibi ac vini satietate, vix meridiano tempore, plenus crapulâ est experrectus.*" Vere a nobis locum emendatum esse, patet ex Sueton. Calig. 58. *marcente adhuc stomacho, pridiani cibi onere.*

Ernestus mihi scripsit, se tibi exemplar Polybii unâ cum literis misisse. Verisimile est, illa repertum iri in fasciculis librorum, quos Luchtmansii exspectant. Lipsienses Orphica Gesneri prelo subjicere coeperunt. Ernestus in amplo Commentario in Aristophanis Nubes et Scholiastem conscribendo cum

maxime versatur. Hemsterhusius bene valet, meque te suo nomine salutare jubet. Vale, Vir Celeb. mihique favere perge. Leidae d. 7 Jul. 1764.

AD BERNARDUM.

CLARISSIMO ATQUE ERUDITIONIS LAUDE FLORENTISSIMO VIRO,

JO. STEPH. BERNARDO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Etsi literae tuae mihi longe gratissimae acciderunt, tamen quod de Phrynicho caeterisque Grammaticis narrabas, molestiae nonnihil adspersit. Sed haec omnis in vanum abiit, postquam Celeb. Oudendorpium adeundi fuit facultas. Is enim ante paucos dies literas a Stoebero acceperat, quibus diserte significat, se omnem Grammaticorum edendorum spem abjecisse, libenterque hanc provinciam Batavis cessuram. Simul remittebat schedas Oudendorpianas, tamquam sibi numquam usui futuras. Sed cur tibi non respondeat, nec ego, nec Oudendorpius exputare poteramus. Aliis igitur literis obtundendus erit. Forte priores interciderunt. Nam de voluntate hominis satis constat. Equidem mirifice gaudebo, si Phrynichum cum Timaeo con-

jungere licuerit, cujus Λέξεις Πλατωνικαὶ una cum alio Glossario Coisliniano jam nautae Anglo traditae sunt ad me perferendae. In Moschi argum. egregie vereque corrigis τείνων. Hujus Moschi in Orpheum de Lapidibus Scholia, quae sunt in Bibliothecâ Regiâ, magno tibi in emendando forent adjumento. In altero Orphei loco invitus a te discedo. Sunt quidem in Homero ejusmodi στίχοι ἀκέφαλοι, sed in Orpheo frustra exemplum quaeres. Forte ita rescribendum:

Ἀλλ' ἤτοι κείνους μὲν ἀμωμήτους Διὸς οἶκοι
Χαίροντες δέξαντο.

ut ἀμωμήτους ad Heroas referatur ex usu Homeri; Χαίροντες, ad aedes Jovis. Felicius in Palaephato restituisti γέροντας, et plane addicentibus Musis. Nos quoque nonnulla in Orpheo de Lapidibus refecimus, quae alias tecum communicabuntur. Nunc de Poëtis ne cogitare quidem licet. Ita me totum sibi vindicat Graecus Ictus, Thalelaeus, qui brevi typis exscribetur. Amiciss. Alberti ita in dies convalescit, ut non sit dubitandum, quin pristinam valetudinem prorsus sit recuperaturus.

Vale, Vir egregie, nosque, si mereamur, tuorum numero habeto. Dab. Leidae die 29 Novembr. 1750. Salutabis Burmannum, Wetstenium, Fonteinium.

ERUDITISSIMO HUMANISSIMOQUE VIRO,

JO. STEPH. BERNARDO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Cyrilli Lexicon nihil habet, quod ad Thomam exornandum pertineat. Paucas, quas in eo reperias gemmulas, jam excerpsit Valckenaerius V. Cl. ad Ammonium. Ne tamen plane ἀσύμβολος sim, mitto ad te, mi Bernarde, Excerpta quaedam ex Atticistis ἀνεκδότοις, digna sane, quae a te vel in notis vel in praefatione edantur. Ceterum a politissimo Sallierio literas accepi, omnis officii et humanitatis plenas, quibus mihi non solum concedit Phrynichum Arabium, sed et Notas suas in Thomam M., Moerida Atticistam, etc. Itaque jam literas exaravi ad Stoeberum, ut mihi illum apparatum quantocius transmittat. Notas in Thomam M. simulatque accepero, ad te curabo, reliqua mihi ad aliud tempus reservans. De Moeride Thomae adjungendo nuper tecum egi. Quod sane ob summam libelli raritatem et brevitatem multi fieri cupiunt, in his Hemsterhusius et Alberti. Neque jam ab hoc consilio alienus est Bonkius. Sed novus, inquies, mihi labor imperatur. Minime. Nam Sallerianas notas Textui subjiciamus, Collationem item addentes Codicis Vossiani, cujus

tibi copiam faciet amicissimus Alberti. Perlustranda tantum sunt recentiorum Criticorum monumenta, atque inde, quae ad hunc Grammaticum emendandum illustrandumque pertinent, petenda. Salvebis a Saxio et Lennepio. Vale, mi Bernarde suavissime, mihique amorem tuum conserva. Dab. Lugd. Bat. d. 18 Febr. 1751.

Excerpta ex MSto quodam Regio, quae descripsi ex Is. Vossii Adversariis in Bibl. Leidensi.

Λαγῶς ὑποκοριστικῶς λαγωδάριον.

Ἐν τῷ περὶ λέξεων Διονυσίου, φύσκυ τὸ παχὺ, ἔντερον, ὃ λεγουσι οἱ ἰδιῶται φούσκυ.

Ὅτι ἔστιν Ἀθηναία, ὥσπερ καὶ Ἀθηναῖος.

Τρίπρατος δοῦλος καὶ τριπέδων καὶ τρίδουλος.

Κυδώνια μῆλα, οὐχ ἁπλῶς Κυδώνια.

Περὶ τοῦ ὑπογράφειν τὸν ὀφθαλμὸν καὶ τὰ πρόσωπα. οὕτως γὰρ εὕρηται ἀεὶ παρὰ τοῖς παλαιοῖς. Λέγει Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ἐν τῷ περὶ χρήσεως Ἀττικῶν ὀνομάτων, ὅτι τὴν ὑπὸ εἰώθασι οἱ παλαιοὶ πολλάκις ἀντὶ τῆς πρὸ ἐκτιθέναι. ὡς τὸ ὑπειπεῖν ἀντὶ τοῦ προειπεῖν, καὶ ὑπάγειν ἀντὶ τοῦ προάγειν, οὕτω καὶ ὑπογράφειν τὸν ὀφθαλμὸν ἢ τὸ πρόσωπον ἀντὶ τοῦ προγράφειν.

Ὅτι καὶ παρὰ τοῖς Ἕλλησι τὸ ὄνομα τῶν δαιμόνων ἐπὶ τῶν κακοποιῶν εὑρίσκεται ἐκλαμβανόμενον. Ἀκούετε τοῦ Φιλοστράτου ἔν τινι τῶν Ἐπιστολῶν οὕτως γράφαν-

τος ῥητῶς· Διὰ τοῦτο ὁ Ἀσκληπιὸς τὰ μὲν ἐκ πολέμου καὶ θήρων τραύματα ἰᾶται ῥαδίως, ταῦτα δὲ ἐφ' διὰ τὸ ἑκούσιον, ὡς ἀνοίᾳ μᾶλλον, ἢ ἐπηρείᾳ δαιμόνων γενόμενα.

Ὅτι τὸ τοῦ πόρνου ὄνομα ἐπὶ τοῦ πάσχοντος κυριολεκτεῖται παρὰ τῶν σοφῶν, οὐκ ἐπὶ τοῦ δρῶντος. Καὶ ἄκουε πάλιν τοῦ αὐτοῦ Φιλοστράτου ἐπιστέλλοντος τοιούτῳ τινὶ καὶ πόρνῳ ἐπιγράφοντος. Ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς διασαφήσεσι τῶν τῆς ῥητορικῆς στάσεων δηλοῦται σαφῶς τὸ τοιοῦτο. Συλλογισμὸς γάρ ἐστι καὶ παρὰ τοῖς ῥήτορσι στάσις οὕτω καλουμένη, καὶ ἓν τῶν παραδειγμάτων τῆς τοιαύτης στάσεως τυγχάνει τοιοῦτο. Νόμος τὸν ἐξ ἑταίρων μὴ λέγειν· ἐκ πόρνου τις γεγενὼς κωλύεται λέγειν. Ἰδοῦ κἀνταῦθα σαφῶς ὁ Ἑρμογένης τὴν τοῦ πόρνου λέξιν ἐπὶ τοῦ πασχητιῶντος ἐξελάβετο.

Basilius, Scholiastes ineditus Gregorii Nazianzeni, inter Codd. Vossianos ad Orat. in Nativitat. Christi.

μὴ στιβάδας ὑψηλὰς· στιβὰς, στρωμνὴ, χαμαικοίτιον, ὡς Εἰρηναῖος ὁ Ἀττικίστης, καὶ Ἀριστοφάνης ἐν στρατείαις ὁ Κωμικὸς, καὶ ἐν δραπέτισι Κρατῖνος, καὶ τῶν ῥητόρων οἱ πλεῖστοι. Ἀλλὰ τὴν κλίνην οὗτος στιβάδα καλεῖ, ὡς ἐν τῷ πρώτῳ τῶν στηλιτευτικῶν ἐπὶ στιβάδος ὑψηλῆς καὶ μετεώρου, φησὶν, ἀνακείμενος.

καὶ ταῦτα πεινῶντων ἄλλων. Τὸ ταῦτα παρέλκον ἐστὶ, κόσμου χάριν προστεθέμενον. Οὕτως Ἰουστῖνος ὁ Ἀττικιστὴς· καὶ παρὰ τῶν ῥτόρων δὲ τοῖς πλείοσιν οὕτως εὕροις κείμενον. Hunc Justinum eum-

dem puto cum Julio Vestino, Sophistâ, quem laudat Suidas v. Οὐηστῖνος. Sed utrum nomen verius sit, haud dixerim.

VIRO PRAESTANTISSIMO, AMICISSIMOQUE,

JO. STEPH. BERNARDO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Nudius tertius accepi literas a Stoebero, omnis humanitatis plenas, quibus mihi totum suum Apparatum lubentissime cedit. Mittet etiam, quem non expetieram Moerida Atticistam ex Codd. Regio et Coisliniano mirifice emendatum, et paene altero tanto auctiorem. Quo magis bonarum literarum causâ te rogo, mi suavissime Bernarde, ut hunc comitem dare velis Thomae tuo. Equidem, si id jubeas, aliorum observata colligam, ad suum quodque referens locum. Neque contemnenda ex Cl. Alberti exemplari excerpere licebit. Quodsi tibimet ipsi ne ullam quidem notam apponere vacet, vel sic tamen omnes ingentes tibi gratias acturi sunt, quod auctorem tanto pleniorem emendatioremque dederis. Scribit etiam doctiss. Stoeberus, se collectanea sua in Thomam ad te misisse, quae jam ad te perlata puto. Si quid est, de quo ad eum scribendum existimes, fac ad me mittas lite-

ras tuas. Nam post tres quatuorve dies, ipsi a me rescribendum est. Boerhavii in Aëtium Apparatus hic propediem publice vendetur. Utinam tibi eum vindicare posses; quo nemo rarissimo Auctore dignior interpres reperiri potest. Gunzius Saxio nostro negotium dedit hujus κειμηλίου emendi, cui ut quacunque ratione eripias, precor. Vale, Vir Amicissime. Dab. festinanter d. 14 Mart. 1751.

ERUDITISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO,

JO. STEPH. BERNARDO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Mirifice placet Thomae tui prima plagula, omnemque superat exspectationem. Noli dubitare, mi Bernarde, quin pro hac operâ, quamlibet molestâ, ingentem apud omnes elegantiarum studiosos gratiam sis initurus. Phrynichi Sophisticus Apparatus jam ad me Argentorato pervenit. Heri etiam Parisiis accepi Herodiani libellum de Atticismo ineditum, et ab eo, qui Phrynicho subjici solet, plane diversum. Brevi plura ex Galliâ et Angliâ exspecto. Utinam haec ornandi et digerendi tempus suppeteret! Nunc totum me sibi vindicat Thalelaeus, et vix respirare sinit. Thomae tui plagulam primâ quâque occasione mittam ad amicis-

simum Sallierium, qui gaudebit, notas suas tandem in lucem proferri. Phrynicho MSto. notulalas quasdam adjecit Stoeberus noster. Sed enixe a me petiit, ut, si quid triviale, aut parum rectum occurreret, illud omitterem: quod et te facere, par est. Sic enim amici hominis famae melius consuletur. In illâ ipsâ primâ plagulâ quaedam occurrunt Stoeberiana et Witteriana, vix luce digna, quae ideo vellem omissa. Meleagri illa Epigrammata exstant omnia in Anthologiâ meâ inediti. Pleraque dudum ab aliis sunt vulgata. Ἐν σοὶ τάμα, Μύϊσκε, edidit Spanhem, ad Callim. H. in Cer. 13. Ζωροπότει δύσερως laudat Alberti ad Hesych. v. Ζωροπόται. Οὔριος ἐμπνεύσας edidit Joh. Frid. Gronovius in Diatr. Statianâ p. 157. Ἀρνεῖται τὸν ἔρωτα, idem Gronov. p. 271. Alia protulit Salmasius in variis scriptis suis. Lennepius te plurimum salutat. Thomsianus Catalogus brevi prelo dabitur. Vale, Vir egregie, meque, ut amas, ama. Dab. festinanter Leidae d. 6 Jun. 1751.

Saxius noster te salvere jubet, et, quid sibi de lucernâ videatur, in schedulâ perscripsit.

ERUDITISSIMO AMICISSIMOQUE VIRO,

JO. STEPH. BERNARDO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Si quid est, quod ad Cl. Sallierium mittendum putes, quamprimum, fac, tradas Cornelio Haakio, bibliopolae Leidensi, qui propediem Lutetiam Parisiorum tendet. Phrynichum meum Cl. Hemsterhusius sibi perlustrandum expetiit, qui, si quid inde utilitatis ad Thomam redundaverit, notis inseret suis. Equidem hoc tempore Harlemi versor, ut funus eam illustrissimae matronae, et magno cum dolore meo exstinctae, A. M. de Raet, quae me nepotis sui studiis praefecerat. Vale, et me ama. Scribeb. festinanter Harlemi d. 20 Junii 1751.

CLARISSIMO ATQUE ERUDITISSIMO VIRO,

JO. STEPH. BERNARDO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Nuper ad te misi Epistolam meam Criticam II., quam recte ad te perlatam puto. Ex ultimis tuis literis, quae mihi gratissimae acciderunt, intellexi

Stoeberum, virum doctissimum, meum mirari silentium. Ego vero jam ante duos menses ad eum literas dedi, quibus significabam, Phrynichi Apparatum et Luciani Scholia recte mihi reddita esse. Literas igitur aut intercidisse oportet, aut sero nimis ad ejus manus pervenisse. De Thomâ tuo sic habeto. Bonkii libri brevi divendentur. Thomae *Copiam*, quam vocant, me auctore, sibi parabunt bibliopolae *Van der Eyk* et *De Pekker*. Interea operis ἐργοδιώκτης est Deysterus, quem Bonkius sibi, dum in vivis erat, socium adsciverat. Is sibi gratissimum futurum ostendebat, si aliquot folia operis excudenda transmitteres. Vale, Vir Egregie, et viros doctissimos, Wetstenium, Fonteinium, Valckenaerium caet. meo nomine saluta. Dab. Leidae d. 12 Febr. 1752.

CLARISSIMO ATQUE ERUDITISSIMO VIRO,

JO. STEPH. BERNARDÒ,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Literae tuae humanissime scriptae cum aliis de causis mihi pergratae fuerunt, tum quod ostendebant, te libellum nostrum tenuem accurate et Critice perlegisse. Quod in Polyaeni loco p. 18 conjicis ὕλαι πυκναὶ et mihi et Piersono nostro in mentem venerat. Sed altero reperto, hoc ab-

jiciendum putavimus. Nam probabilius videtur, librarios vocem elegantem et raram ἴδαι more suo in notiorem mutasse, quam ὕλαι tritissimum vocabulum in ἡδεῖαι. In Orpheo vs. 435 noli dubitare, Vir Eximie, quin auctoris manum restituerim. Ἅλις κλάζοντες frigidiusculum est, nec convenit feris. De avibus solis dici, satis nosti. At in Orpheo de Lapid. pag. 218 acute atque eleganter corrigis, οὐδ' ὅγε μύθῳ Πείθετο. Perge, ut coepisti, de hoc libello praeclare mereri. Est in Bibliothecâ Regiâ Codex MS. scholiis marginalibus instructus; quem aliquando in gratiam tuam cum edito exemplari conferendum curabimus, aut conferemus ipsi. Nam anno praeterlapso, si Deus vitam et valetudinem concesserit, in Galliam iter facere cogito, inde, ni fallor, rediturus eruditis spoliis onustus. Anacreontis Fragmenta, de quibus scribis, inedita puto. Nusquam certe legere memini. Herodoti cura, ut audio, deferetur Celeb. Wesselingio. Abreschii Dilucidationes vidi. Si quid judico, homo iste novis et ineptis argutiis Graecarum Literarum studium non tam adjuvat, quam corrumpit, et impeditum reddit. Duas Thomae M. plagulas ad te mittendas mihi commisit Deysterus, qui avide exspectat schedas tuas. Vale, Vir Praestantissime, mihique favere perge. Dab. Leidae d. 5 Mart 1752.

CLARISSIMO PRAESTANTISSIMOQUE VIRO,

JO. STEPH. BERNARDO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Quas dudum ad me dedisti literas humanissime scriptas, quia statim respondere haud vacabat, securius in aliud tempus seposueram. Postea vero otii aliquid ad rescribendum nactus, frustra illas, casu disjectas, quaesivi; nec earum argumentum memoriâ satis tenebam. Habes causam silentii tam diuturni. Quantum tamen recordari possim, inter alia quaerebas sententiam meam de Epigrammate, quod ad Thomam M. p. 61. edideras, de quo sic habeto: Codex tuus incerti esse dicit: sed meus, *Asclepiadis*. Primo versu idem in codice meo mendum est. Nihilominus Epigrammatis sententiam recte mihi cepisse videor. Dorcium, Epheborum amore flagrans, delicati pueri habitu insignis processerat. Hujus deinde meretriculae formam poëta describit vs. 2 et 3. Ultimo vero versu, qualis ille Epheborum habitus fuerit, diserte indicat.

ἡδ' ὑπὲρ ὤμων

Σὺν πετάσῳ (sic Cod.) γυμνὸν μηρὸν ἔφαινε χλαμύς.

Cui lectioni firmandae quamquam plura opportuna adferre possem, in praesenti tamen suffecerit Jul. Poll. Lib. X. segm. 164. τὸ δὲ τῶν ἐφήβων φόρημα, πέτασος καὶ χλαμύς. Φιλήμων ἐν Θυρωρῷ· Ἐγὼ

γὰρ ἐς τὴν χλαμύδα κατεθέμην ποτὲ καὶ τὸν πέτασον.
Nolim tamen in Addendis ad Thomam tuis hujus interpretationis meae rationem haberi. Pag. 177. video te in Orpheo corrigere: Χρὴ δέ σε τετλήοτι νόῳ κηδαίνεμεν ἀεί. Metri studiosus scripsisset τετληῶτι. Sed quâ tu auctoritate, Vir eruditissime, κηδαίνω restituis? Hesychii, inquies, ubi habetur: Κηδαίνει, μεριμνᾷ. Sed hic nuperrime Cl. Alberti verissime emendavit κηραίνει, atque adeo fulcrum subtraxit conjecturae tuae. Aliâ igitur viâ locus a te tentandus erit. Doctissimum Heringa, qui cum maxime egregiam Orpheo operam navat, variis subsidiis ex Galliae et Angliae subsidiis instruxi. In libello de Lapid. p. 190 vs. 68. vide, an recte corrigam:

Ἐκ δ' οἴγε πτολίωντε καὶ ἀγρῶν ἤλασαν ἐσθλὴν.

p. 224. vs. 24., metro jubente, reficio.

Τερπωλὴ δ' ἡδεῖα θεομέναυ ἐς φρένα σεῖο.

Plura vellem: sed avocor. Vale, Vir Praestantissime, nosque tui studiosos ama. Dab. Leidae d. 1 April. 1753.

CLARISSIMO ATQUE ERUDITISSIMO VIRO,

JO. STEPH. BERNARDO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Mirareris fortasse, cur literis tuis humanissimis, et amorem in me tuum omni ex parte ostendentibus non citius responderim. Verum scias, me diu mecum deliberasse, utrum hanc provinciam ambirem, nec ne, propterea quod tot Candidati, Professorio etiam nomine clari, apparituri dicuntur. Quid vero ego adversus hos efficerem, potentibus praesertim patronis destitutus? Inter Candidatos nomen suum professuri sunt Ruckerus Groninganus, Trotzius, Cannegieterus, item Siebenius quidam non suis, sed patris meritis fretus. Nunc tamen, Hemsterhusio auctore, hanc spartam ambire constitui. A partibus meis stabunt, praeter τὸν πάνυ, Albertius, Scheltinga, Schultensius, et tota fere Academia Leidensis. Hi etiam Burmannum in partes suas pertrahere tentabunt. Nec deërit Wesselingius. Quare, mi optime Bernarde, quidquid poteris, meâ causâ ages. Equidem efficiam profecto, ut tibi hujus tui erga me amoris ratio aliquando constet. Quodsi Groningani Ruckerum sibi devinciant, lautiori proposito stipendio, senior etiam Ruckerus omnem pro me lapidem movebit. Atque is magnâ floret apud Rendorpium Consulem gratiâ.

Timaeum nostrum habebis propediem. Nam operae in praefat. excudendâ occupantur. Vale, Vir humanissime, meque, ut amas, ama. Raptim scribebam d. 22 April 1754. Fonteinio nostro salutem dices meo nomine.

VIRO PRAESTANTISSIMO,

JO. STEPH. BERNARDO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Prioribus literis tuis, jucundam mihi veteris amicitiae memoriam in animum revocantibus, nihil respondi, quod tum ita chiragrâ laborabam, nullam ut literam pingere possem. Nunc etsi manus vix officium suum facit, ut hae vacillantes literae ostendunt, tamen responsum meum nolim diutius a te exspectari. Venetum opus de Febribus cum in Bibl. publicâ, tum in illâ talibus libris instructissimâ, quam Cl. Sandiford collegit, frustra quaesivi. Is tamen librum aliunde cognorat, ut ejus schedula adjecta docet. Ad Theophanem imprimendum commendatione meâ Leidenses librarios commovere non potui. Dicunt enim homines, nihil nisi praesens lucrum spectantes, Medicos olim a te editos nimium diu in officinis suis jacuisse. Luchtmanni autem, ex quo alter per hanc rerum conversionem in Senatum urbanum

lectus est, nihil novi operis suscipere decrêrunt.

Pro Apicio tibi et meo et Bibliothecae publicae nomine maximas gratias ago. Koppiersius, cui tertium exemplar destinasti, dicitur ex Americâ reditturus, sed nondum rediit. Vale, Vir egregie, et mihi amorem tuum conserva. Leidae d. 11. Oct. 1789.

AD RUARDIUM.

R U A R D I O,

Viro Clarissimo

s. p. d.

DAVID RUHNKENIUS.

Cum aliae multae causae, tum praecipue gravis morbus conjugis meae, quae adhuc in misero statu versatur, me impediverunt, quominus ad binas tuas literas citius tibi responderem. Ex prioribus autem non sine quadam animi voluptate vidi, te matrimonium iniisse. Itaque de eo tibi etiam atque etiam gratulor, omniaque prospera ac felicia precor. Oratio tua hîc omnium intelligentium virorum suffragia tulit. Et mihi crede, natura te ita finxit, ut unus ex optimis oratoribus fieri queas, modo Ciceronem quotidie legas, ejusque Latinitatem tibi tamquam exemplum, quod imiteris, perpetuo proponas.

Ex Clar. Reiskii praefatione ad Aeschinem non modo intellexi, ipsum Epistolas Socraticas cum codice Helmstadiensi contulisse, sed simul etiam eumdem rogavi, ut istam collationem ad me in tuam gratiam mitteret. Huic rogationi Vir Clar. continuo humanissime satisfecit. A me vero propediem collationem Parisinam accipies. Dolendum est, Parisiis non nisi unum modo codicem exstare. Quodsi enim ibi vel decem essent, illi ad unum omnes ab amicis meis lubentissime conferrentur. In Bibliothecâ Florentinâ quinque vel sex codices servantur. Sed in illâ civitate habeo neminem, quem rogem, ut conferendi onus gratis in se recipiat. Impensae igitur quaedam faciendae et bibliopolae tuo ferendae erunt. Contra ea vero tu id ante omnia alia agere debes, ut Indicem, vel potius Prosopographiam eorum virorum facias, quorum in illis Epistolis mentio fiat. Tum quoque tuum erit, Aeschinem cum optimis quibusque scriptoribus Atticis, cum Platone, Xenophonte, Isocrate aliisque quam diligentissime comparare. Et quod ad res historicas spectat, illarum explicandarum praecipuus fons tibi Diogenes Laërtius sit. Ernestus, Vir Clar., hoc ipso tempore denuo edit Xenophontis Memorabilia Socratis, idque majori formâ et cum pluribus annotationibus. Quas si legeris, me duo vel tria loca ex Epistolis Socraticis tentasse videbis. Quod reliquum est, valeas, Vir Praestantissime, meque amare pergas.

Lugd. Bat. d. 24 *Jan.* 1772.

R U A R D I O,

Viro Clarissimo,

s. p. d.

DAVID RUHNKENIUS.

Gratum mihi est videre, orationem tuam in dies ad Ciceronianae similitudinem propius accedere. Macte hac laude. Quae adhuc tibi desunt, assiduâ Ciceronis lectione et exercitio scribendi in Bibliothecâ Criticâ mox assequeris. Interea autem me omnes tuas censuras lecturum, et, quoties opus sit, correcturum esse, tibi polliceor. Initium facias a censurâ Plinii Hist. Nat. a Brotierio editae Parisiis VI voll. f. 12*ae. Editorem enim bonis Codicibus usum esse audio. — Nuper locutus sum de Sulpicio Severo: nunc mihi aliud opusculum in mentem venit, ad quod edendum nihil fere, nisi diligens Ciceronis lectio requiritur. Exstat libellus longe rarissimus, et paucis cognitus, hoc titulo:* Synonyma Ciceronis, *quem confecit antiquus Grammaticus ex libris Ciceronis, maximam partem deperditis. Bondamus putat, Charisium ejus esse auctorem. Jam ante hos decem annos eumdem libellum Tollio commendavi: at hic agit alia magis* πρὸς ἄλφιτα. *Penes me sunt plurimae ejus collationes. In Hymno Homer.* ἐλεαίρων *nondum illud est, quod quaerimus, verum. Nimis a vulgari lectione recedit. De Archaeologiâ nonnulla egregia, at sermone theo-*

disco scripsit Heynius. Horum titulus est, Vermischte Aufsätze. *Equidem Comitem Caylum omnibus praefero. Noli emere aliam Winkelmanni editionem, quam illam, quae nunc in Gallicam linguam conversa Lipsiae prodit. Ratio tibi praefationem lecturo patebit. Vale et me ama.*

RUARDIO SUO

S. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Gratulor tibi de discipulo Pothoffio, qui, te duce, rectam scribendi viam ingressus est. — Ad emendationes tuas egregias sic habeto:

Callidus. Non mutandum esse *fictus* his exemplis intelligitur: Horat. Serm. 1, 3, 62, Ovid. Art. Am. III, 601.

Pollutum. Bene corrigis *impuratum*.

Pestis. Bonae notae vocabulum *infectio* i. e. contactus inficiens, sive contagio.

Ingenium. Vide, an *specimen* sic capi possit in Liv. XXXVIII. 17.

Comis. Grammaticus *communis* huc retulit e loco, ubi per errorem pro *comis* legebatur.

Controversia. Elegans est *conjectio rei*.

Cohibet. Meo judicio Ciceroni relinquendum est, *cum remiges inhibuerant*. Nec in Ligariana quidquam tolleretur. Multa, quae redundare videntur, sic per epexegesin dicantur.

Conari. Recte scribis, *instituere*. Placet etiam *quo* pro *quod* in Cicerone.

Collocat. Non indignum Cicerone est *compaginat.*

Decoxit. Pro *inturbavit* lege *conturbavit.* Ciceronis loca habet Ernestus in Clave. *Foro cessit* haustum est e libris deperditis, ut alia multa.

In *Cluentianâ* cap. 5. *nominis causâ* sic intelligo: non quo mater sit, sed ut nomen habeat, quo appelletur. Nihil huc pertinent Valckenaeriana ad Euripidem. — Alter locus De Legg. in manifesto mendo cubat.

Haec raptim scripsi. Vale, Vir eximie, et nos quam primum editione *Synonymorum* bea. Leidae d. 6 Mart. 1790.

RUARDIO SUO

s. d.

DAVID RUHNKENIUS.

Callidus. Nihil causae video, quare *fictus* minus in prosâ dicere liceat, quam apud Graecos πλαστὸς et ἄπλαστος. Sed ecce Arnob. II. p. 76. *caecos*, fictos, *dissimulatores*, *mendaces.*

Compaginare. Hoc si minus placet, vide, an *coagmentare* locum habere possit.

Figura. Non ego in Vellejo mutem *forma* cum *imagine.* Loci ex II. 89, quem laudas, alia est ratio. Ibi enim *imago* est σκιαγραφία, non *modus.*

Exemplum. *Quae sint dignitate* est error typograph. in edit. Ernest.

Fingere. Walkerianum *mutaverit* elegantius

est, quam tuum *putata sit*. Vide, quae dixi ad Vell. II. 82. pag. 342.

Gaudium. Placet *gestiens animus*.

Infans. Alienum est *nudus*: verissimum *mutus*. *Inornatus* cum *infans* etiam Nizolius comparavit. Forte tamen aliud latet in *induratus*. At minime dubito, quin pro *inelegans* legendum sit *elinguis*. Cic. p. Red. in Sen. c. 3. — In libro De Legg. *jejunius* jam occuparunt alii. Vid. Davis.

Inserit. Tuum *implicat* certum videtur. Velleji lectio II. 103. bene habet. Non desunt in eodem loca vitiosa, in quibus ingenium exerceas.

Insultat. *Infestat* non est synonymum verbi *insultat*.

Impudens. In Cic. Fin. I. 18. recte Lamb. legit *morosi*.

Increpat. Correctionem tuam *arguit* confirmat Festus v. *Increpitare*.

Insidiae. Tecum malim *captio*.

Insitum. Numquam librarius notissimum *innatum* in rarissimum *illuminatum* mutasset. Ergo quaerendum aliud.

Impulsor. Praeclare *hostis otii*.

Incendit. Teneo *irritat*.

Jactatio. Verissime legitur *venditatio*.

Licet. Mihi quoque blanditur *solutum est*.

Moderatur. Bene corrigis *medetur*.

Nominatim. Nondum mihi persuades, ut in Vellejo *promtae eloquentiae* scribendum putem.

Nitidus. Unice tenendum *lautus*.

Dignus est Cellarii Antibarbarus, qui in lucem

Collocat. Non indignum Cicerone est *compaginat.*

Decoxit. Pro *inturbavit* lege *conturbavit.* Ciceronis loca habet Ernestus in Clave. *Foro cessit* haustum est e libris deperditis, ut alia multa.

In *Cluentianâ* cap. 5. *nominis causâ* sic intelligo: non quo mater sit, sed ut nomen habeat, quo appelletur. Nihil huc pertinent Valckenaeriana ad Euripidem. — Alter locus De Legg. in manifesto mendo cubat.

Haec raptim scripsi. Vale, Vir eximie, et nos quam primum editione *Synonymorum* bea. Leidae d. 6 Mart. 1790.

RUARDIO SUO

S. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Callidus. Nihil causae video, quare *fictus* minus in prosâ dicere liceat, quam apud Graecos πλαστὸς et ἄπλαστος. Sed ecce Arnob. II. p. 76. *caecos*, fictos, *dissimulatores*, *mendaces.*

Compaginare. Hoc si minus placet, vide, an *coagmentare* locum habere possit.

Figura. Non ego in Vellejo mutem *forma* cum *imagine.* Loci ex II. 89, quem laudas, alia est ratio. Ibi enim *imago* est σκιαγραφία, non *modus.*

Exemplum. *Quae sint dignitate* est error typograph. in edit. Ernest.

Fingere. Walkerianum *mutaverit* elegantius

st, quam tuum *putata sit*. Vide, quae dixi ad Vell. II. 82. pag. 342.

Gaudium. Placet *gestiens animus*.

Infans. Alienum est *nudus*: verissimum *mutus*. *Inornatus* cum *infans* etiam Nizolius comparavit. Forte tamen aliud latet in *induratus*. At minime dubito, quin pro *inelegans* legendum sit *elinguis*. Cic. p. Red. in Sen. c. 3. — In libro De Legg. *jejunius* jam occuparunt alii. Vid. Davis.

Inserit. Tuum *implicat* certum videtur. Velleji lectio II. 103. bene habet. Non desunt in eodem loca vitiosa, in quibus ingenium exerceas.

Insultat. *Infestat* non est synonymum verbi *insultat*.

Impudens. In Cic. Fin. I. 18. recte Lamb. legit *morosi*.

Increpat. Correctionem tuam *arguit* confirmat Festus v. *Increpitare*.

Insidiae. Tecum malim *captio*.

Insitum. Numquam librarius notissimum *innatum* in rarissimum *illuminatum* mutasset. Ergo quaerendum aliud.

Impulsor. Praeclare *hostis otii*.

Incendit. Teneo *irritat*.

Jactatio. Verissime legitur *venditatio*.

Licet. Mihi quoque blanditur *solutum est*.

Moderatur. Bene corrigis *medetur*.

Nominatim. Nondum mihi persuades, ut in Vellejo *promtae eloquentiae* scribendum putem.

Nitidus. Unice tenendum *lautus*.

Dignus est Cellarii Antibarbarus, qui in lucem

VIRO PRAESTANTISSIMO,

IO. JACOBO HOTTINGERO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Annum eoque amplius aliquem ex civibus tuis quaesivi, qui hinc cum commeatu profectus, meas ad te Epistolas Criticas perferret. Sed nec reperi quemquam, nec in hac belli suspicione facile videor reperturus. Quo gratius mihi feceris, si viam, quâ hoc munusculum recte ad te curari possit, nobis indicâris. De novâ Velleji editione eo te impensius amo, quo plura tuae et aliorum sagacitati corrigenda reliqui. Non alienum fuerit, te ea, quae vir doctus in Bibliothecâ Berolinensi et editor Bipontinus ad Vellejum castigandum attulerunt, ad examen vocare. Quâ de re, nisi fallor, jam Wyttenbachius te admonuit. Nunc de singulis emendationibus tuis, quid mihi videatur, simpliciter et ingenue ad te perscribam.

Pag. 351. *Initium habuit*, frequens est locutio, nec *habuit* tam levi de causâ delendum.

Pag. 352. Satis est *dotibus* respondere voci *ingenii*. Deinde tua correctio relinquit *eminentissimus* cum genitivo constructum, quod abhorret à consuetudine latinâ.

Pag. 353. explicatio mea conjungit similitudinem et temporum et ingeniorum: tua unius temporis.

Pag. 354. Hîc valde laudo acumen tuum. Tenendum *eorum*, et *Romana* expungendum.

Pag. 354. Ex omnibus meis emendationibus, nescio, an hac sit felicior, *pluribus sanae eloquentiae, quam universa Graecia, operibus effloruit.* Si tibi Rut. Lupus ad manum fuisset, ut exempla, quibus eam confirmavi, cognosceres, forte aliter judicasses. Tu jungis *annis eloquentiae.* At hic sermo insolens est, certe mihi inauditus.

Pag 355. Bonae correctiones nullâ re magis, quam facilitate commendantur. At quam durum est, *nihil* ex superioribus assumere!

Ibid. Placet mihi transpositio, quam fieri jubes, verborum, *minor secuta auctoritas. Relatio* nunc repudio ipse.

Pag. 359. Si Vellejus *quâ* scil. *regione* scripsisset, in turpe ambiguum incidisset.

Ibid. Glossemata serviunt raris aut obscuris explicandis. Quid autem vulgarius verbo *gestare?* Exemplis, quibus verissimam emendationem confirmavi, oblitus sum addere Velleji imitatorem, Sulpic. Severum II. 16, *Caput H. de superioribus ostentantes.*

Pag. 362. Ego *Catonem* teneo, motus iis, quae Sall. in Catil. c. 53. narrat. In Ciceronc consule hic comitatus nihil habet singulare et mentione magnopere dignum, at multum in Catone senatore.

Quod scribis in exemplari tuo II. 27 legi, *quibus ejus nomine*, sic etiam legitur in altero meorum. Haec varietas fluxit a Rhenano, quaedam, dum opus imprimebatur, mutante. Similem varietatem in notis meis, nescio ubi, notavi.

Pro Museo Turicensi maximas tibi gratias ago,

speroque futurum, ut brevi plura volumina primum consequantur. Vale, Vir eximie, et me, ut amas, ama. Dab. Leidae d. 10 Jan. 1784.

ERUDITISSIMO VIRO,

IO. HENR. VOSSIO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Obstupui, literis tuis lectis, et statim Matthaei apographum, quod forte conservâram, evolvi, ut, ejusne an meâ negligentiâ tot versus essent omissi, viderem. Inspecto apographo, patuit, virum doctissimum, dum, ut mihi gratificaretur, nimis festinabat, in tam grave ἀβλέπτημα incidisse. Jam meae me editionis ita poenitet pudetque, ut illam statim aliâ locupletiore parandâ ex hominum memoriâ delere constituerim. Quo consilio, hoc ipso die Clarissimum Matthaei per literas rogavi, ut editionem meam cum vetere codice anxiâ diligentiâ comparet, varietates notet, et versus temere elapsos restituat. Atque ut nova editio, praeter illos versus, aliam quoque commendationem habeat, faciam, quod multorum convicia me facere cogunt, id est, versionem Latinam textui Graeco adjungam. Cujus conficiendae molestiam utinam tu, qui tantâ cum laude in Homero vertendo versaris, suscipere velles. Ego certe tot aliis occupationibus distineor, ut huic rei vacare non pos-

sim. Quid sis facturus, velim mihi quam primum rescribas. De emendationibus tuis, in quibus maxime mihi placet, ὁσίης ἐπέβη, alias agemus. Quod reliquum est, vehementer gaudeo, mihi per hanc occasionem notitiam tecum esse contractam, et abs te etiam atque etiam peto, ut me de omnibus rebus tuis erudias, ubi natus sis, quibus magistris usus, quid edere pares. Ego si quis alius hac aetate, omni genere instrumentorum, quae ad Graecos Latinosque scriptores expoliendos pertineant, abundo, et libenter talibus viris, qualem te cognovi, copias meas impertior. Sed tu me certiorem facies, quo genere maxime delecteris. Dab. Lugduni Batavor. d. 28 Aug. 1780. (1.)

SCHULTENSIO SUO

DAVID RUHNKENIUS SALUTEM.

Libellus, quem misi, patri tuo τῷ μακαρίτῃ destinatus videtur. Sed nullo cursore, qui eum in campos Elysios portaret, reperto, proximum erat, ut ad paternae eruditionis heredem, inter nos degentem, mitteretur. Tu igitur brevem illius censuram conficies, de omnibus statuens ex arbitrio tuo, modo ne Antonius impune ferat, quod dixit,

(1.) Hanc epistolam ex apographo, Vossii manu facto, edidit *Friedemannus* Op. Ruhnk. T. II. p. 722. Vid. Friedem. in Annot. ad Praefat. Bergm. pag. LXXIV.

scriptores Bibliothecae Criticae oblique perstringens, *Janum felicissimum Heynii imitatorem esse.* Adjeci ejusdem ad me literas. Ridebis, ubi me hominis, quem omnino natum nesciebam, fautorem appellari videris. Ecquandone cives mei ineptire desinent! Vale, Schultensi Suavissime, et uxorem praestantissimam saluta, festivos vero infantulos osculo impertire.

VIRO PRAESTANTISSIMO,

HERMANNO BOSSCHA,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Petis a me, ut eruditionis testimonium dem doctissimo Wenkebachio. Non dabo. Nam cum omnes uno ore confiteantur, eum Graecis Latinisque literis supra vulgus excellere, cumque ipse scholam Franequeranam per biennium rexerit, nolo ejus ingenio et doctrinae hanc injuriam facere, ut a me, tamquam tiro ex scholâ vel Academiâ dimittendus, tralatitium testimonium ferat. Id unum Gymnasii vestri Curatoribus velim meis verbis significes, numquam eos digniorem, qui tibi in munere scholastico succedat, reperturos. Vale. Leidae, 13 Aug. 1795.

VIRO EXIMIO,

JACOBO MORELLIO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Cum tuae erga me voluntatis pignus habeam elegantissimum Anecdotorum opusculum, non dubitavi his literis consilium et opem tuam expetere. Dudum id perficere conor, quod Veronenses, ante hos quinquaginta annos, inchoarunt, sed mox, minus parati, destituerunt, id. est, M. A. Mureti Opera omnia, quatuor voluminibus conclusa, in lucem revoco, vel potius, quoniam tria volumina jam impressa sunt, revocavi. Sed in hunc usque diem frustra quaero integram Orationum XXIII et Carminum editionem, quae prodiit Venetiis apud Aldum 1576: dixi *integram*. Nam plerisque exemplaribus, sicut meo, detracta sunt Poëmatia, quae titulus pollicetur, credo, quod eorum lascivia tristioris naturae homines offendit. Plenum quidem exemplum ad manum fuit Jacobo Thomasio, Orationum et Carminum editum. Sed is quoque, ad tales delicias durior, omnes hilariores versus, ut ipse fatetur, editione suâ exclusit. Jam cum ex praeclarâ Bibliothecae Pinellianae recensione intellexerim, integrum exemplar ibi reperiri, rogo te quaesoque, vir humanissime, ut carmina a Thomasio et Checcotio omissa, quae pauca esse suspicor, inde mihi describenda cures. Sic beneficio

tuo, quod publice celebrabo, ne tantillum quidem, quod a Mureti ingenio profectum sit, in editione nostrâ requiretur. Ex praefatione tuâ ad Anecdota p. 41. non sine voluptatis quodam sensu cognovi, scholia inedita in Platonem a te quoque luce dignissima judicari. Equidem ea, ex multis codicibus collecta, edere coepi, ac, textu jam impresso, in iis castigandis illustrandisque versor. Satis copiosa sunt in Dialogos et libros de Republicâ, sed brevia et jejuna in libros de Legibus, et in secundum de Legibus nostri quidem Codices non nisi bina praebent scholia, Ἀκταίνειν et Κολοφὼν. Vix dubito, quin plura et uberiora sint in Codd. Marcianis. Pag. 42 praefationis tuae, deceptus a Toupio, Dissertationem de Longino, quae mea est, Schardamo cuidam tribuis. Fortasse tunc non memineras eorum, quae dixit communis amicus, Wyttenbachius Bibl. Crit P. III. p. 33. Vale, vir eximie, et pluribus anecdotis proferendis de bonis literis bene mereri perge. Dab. Lugd. Bat. d. 30 Jun. 1788.

VIRO ERUDITISSIMO,

JACOBO MORELLIO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Ex literis, quas proxime ad Santenium nostrum dedisti, magnâ cum voluptate intellexi, te Mureti carmina, quae desiderabam, cursori publico ad me

perferenda dedisse, et jam in Platonis Scholiis describendis versari. Hoc tuum tam promtum bene de me merendi studium, noli quaerere, quam gratum et jucundum mihi fuerit. Sed hanc voluptatem mox acerbus dolor consecutus est. Ineunti enim mihi rationem dierum, quibus illa carmina ad me missa scribis, patuit, ea in viâ periisse. Male sit istis, quorum hoc accidit negligentiâ. Nunc nihil aliud superest, nisi ut te, vir humanissime, etiam atque etiam rogem, velis carminum describendorum molestiam iterum subire, et fortunam denuo alio missu tentare. Quo beneficio cum me, tum omnes elegantiae Muretinae studiosos tibi in perpetuum devincies. Diuturnum Wyttenbachii silentium mirari noli. Etenim per binos menses tam gravi morbo conflictatus est, ut ejus vitae timeremus. Nunc tamen, morbo depulso, spes est, eum brevi pristinam sanitatem recuperaturum. Plutarchum ejus Academia Oxoniensis expetit, suis sumtibus splendide imprimendum. Augustae Tauricorum est vir doctus, qui mihi emendam offert Demosthenis Thracis Metaphrasim Odysseae, saepe ab Eustathio laudatam, sed a me in deperditis habitam. Is quoniam nomen suum mihi nondum edidit, fraudem suspicari coepi. Velim scire, an quid hujus rei in notitiam tuam pervenerit. Cl. Santenius te plurimum salutat. Vale, vir eximie, et mihi favere perge. Dabam Leidae die 7 Oct. 1788.

VIRO CLARISSIMO,

JACOBO MORELLIO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Recte ad me perlata sunt Mureti carmina et Scholia in Platonem, pro quibus tibi gratias, quantas animus capere potest maximas, ago, vehementer cupiens, mihi potestatem dari in eodem genere de te studiisque tuis bene merendi. Mureti aliquot epistolas a Lazerio editas esse, e Diariis cognoram: sed ipse Miscellaneorum liber nondum in manus meas pervenit. Amadutii Anecdota penes me sunt. Scholia Platonis, quae tuae humanitati debeo, non sunt pleniora meis. Quoniam tamen iis emendandis inservire possunt, velim, nisi grave est, in paucis, quae restant describendis pergas. De epistolâ ad amicum Taurinensem scribendâ multum te amo. Ipse quoque ad bibliopolam Taurinensem, per quem Anonymus iste mihi Demosthenem obtulit, iterum literas dabo. Santenius noster jam Servii Centimetrum nitidis literis exscribendum curavit, propediem ejus exemplum ad te missurus. Plurimum te salvere jubet. Vale, virorum optime, et mihi amorem tuum conserva. Dabam Lugd. Bat. d. 10 Nov. 1788.

VIRO DOCTISSIMO,

JACOBO MORELLIO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Ex quo me de Mureti Epistolis, quae Miscellaneis Lazerianis continentur, humanissime admonuisti, nullum diem intermisi, quin ea, tabernas perreptans, quaererem. Sed cum nullum exemplar in Bataviam delatum videatur, rursus ad humanitatem tuam confugiendum est, et a te majorem in modum petendum, ut viginti Mureti Epistolas cum Orationum fragmentis, et Lazeri de Mureto narrationem ex illo libro exscerpas, ac, marginibus etiam accisis, cursori publico ad me perferenda tradas. Aliorum ad Muretum epistolas non est consilium editione nostrâ repetere. Epistolam ad Richardium et elegiam a Lamio editam mihi tum demum mitti volo, cum tu judicaris, ea omnino a Mureti ingenio profecta videri. Impensae in Miscellaneorum volumen et vecturam faciendae quam primum per Coletum, qui rationes cum Luchtmannis nostris contractas habet, restituentur. Platonis Scholiasten tantisper seposui, dum novam Timaei editionem, multis partibus locupletiorem, absolvam. Talium librorum repetita editio argumento est, Graecarum Literarum studium in dies laetius effervescere. Cujus amplificandi in te, tot anecdotis abundante, major, quam in quoquam,

facultas est. De Demosthene Thrace nihil dum certi accepi, sed tuas literas exspecto. Vale, vir eximie, et me tuorum numero habe. Salutat te Cl. Santenius. Dab. Leidae d. 1 Dec. 1788.

VIRO PRAESTANTISSIMO,

JACOBO MORELLIO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Binas a te literas brevi temporis intervallo accepi, quarum priores Scholia reliqua continebant, posteriores ea, quae Lamius pro Muretianis frustra venditavit. Quae omnia, quantam mihi voluptatem attulerint, quaerere noli. Illud unum in hac voluptate molestum est, amicitiam tam sero inter nos esse contractam. Certe, si prius te adiissem, dudum Muretus, tuis copiis ornatior et locupletior, in lucem exiisset. In Sacrati Epistolis, quas ipse habeo ex editione Coloniae Agripp. 1583. 8. una tantum epistola p. 16. occurrit, a Thomasio praetermissa, cujus initium est: *Heri accepi a te literas reliquarum tuarum simillimas.* A tuâ humanitate tres exspecto, item eas, quae in Bonciavianis reperiuntur. Notae in totum Terentium jam impressae sunt in Operum Vol. III. Sed Andriam ex editione Parisinâ a. 1551. numquam vidi. Ejus tamen mentionem, ex indicio tuo, in praefatione

faciam, et ibi praefatiunculae, quam misisti, locum dabo. Rossius mihi scripsit, se Commentationes Laërtianas ante aliquot menses ad me misisse, ut meum de illis judicium intelligeret. Vereor, ne liber in viâ perierit. Oxonienses Plutarchi Wyttenbachiani editionem susceperunt, duas facturi editiones, alteram quartâ formâ, alteram octavâ. Vale, vir eximie, et bene de me mereri perge. Dab. Leidae d. 23 Jan. 1789.

VIRO EXIMIO,

JACOBO MORELLIO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Sub finem mensis Januarii tibi per literas significavi, reliqua Scholia in Platonem, et quae pro Muretianis edidit Lamius, recte ad me esse perlata. Pro quibus maximas tibi gratias ago. Ea cum ex voto ad me pervenerint, non dubito te rogare, ut Lazeriana cursori publico per partes ad me perferenda tradas. Velim tamen literis tuis inscribas, *a Leyden en Hollande*, non simpliciter, *a Leyden*. Observationum Misc. Volumina novem, Marinio tuo donanda, eidem fasciculo, cui Timaei editio plenior et Mureti Opera tibi destinata, includentur. Tandem casu quodam didici, eum, qui mihi Demosthenem Thracem emendum obtulit, esse J. Bonnardel, bibliopolam Taurinensem. Cumque

ex tuis literis mihi suspicio nata sit, Bonnardelium librum MS. vendidisse V. C. Borellio, scriptis literis ei obtuli quadraginta ducatos aureos Hollandicos, si mihi librum edendum concedere vellet; cujus responsum cupide exspecto. Vale, vir egregie. Santenius noster te plurimum salutat. Dab. Leidae d. 16 Febr. 1789.

VIRO EGREGIO,

JACOBO MORELLIO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Lazeriana ex voto nostro ad me pervenerunt. Utinam alter missus aeque feliciter huc perferatur. Proximis literis velim me certiorem facias, quo Bibliotheca Jesuitarum, ex quâ Anecdota sumsit Lazerius, devenerit. Heri accepi Homeri editionem Villoisonianam, et Prolegomena inspexi. Sed video, me tot literis, quibus eum a compilandi studio deterrui, nihil egisse. Vale, vir egregie, et me, ut amas, ama. Dad. Leidae d. 27 Febr. 1789.

VIRO HUMANISSIMO,

JACOBO MORELLIO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Ultima symbola earum, quas tam liberaliter ad Muretum contulisti, recte ad me pervenit. Pro quâ, melius est, tibi publice, quam privatim, gratias agere. Auctarium ex Biblioth. Jesuitarum et Barberiniana exspectare, serum est, urgente bibliopolâ Mureti editionem. Spero, fore, ut alius aliquando illa anecdota in lucem vocet, vel ut nobis ipsis hoc facere liceat post editum Muretum. Eadem, quae tu narras, ad me perscripsit Borellius. Repudiat quadraginta aureos Hollandicos, quos pro codice obtuli. Concedit tamen, ut inde exemplum sumatur, exspectatum specimen Metaphrasis. At is mihi primam codicis paginam descripsit, nil nisi Grammaticorum excerpta complectentem. Primum est Menecratis, quod an editum sit, quaerere non vacat: Μενεκράτης φησὶν αἰσθόμενον τῆς ἑαυτοῦ ἀσθενείας τὸν ποιητὴν κ. τ. λ. Alterum hoc est: Ὅτι Δημοσθένης ὁ Θρᾷξ παρέφρασε τὸ βιβλίον τοῦτο, καὶ τὴν αὐτοῦ πραγματείαν μεταβολὰς Ὀδυσσείας ἐκάλεσεν. Hoc loco inductus videtur libri possessor, ut paraphrasis auctorem Demosthenem crederet, cum sit testimonium Grammatici e Suidâ ductum. Vel sic tamen hujus paraphrasis, quicunque demum ejus auctor sit, exemplum habere cupio. Ad Iliadem

emendandam nunc praesidia multa sunt: ad Odysseam perpauca. At quis Taurini tam doctus Graece est, ut ei describendi negotium committi possit? Hac de re tuas literas exspecto. Vale, vir eximie, et nos amare perge. Dab. Leidae d. 15 April. 1789.

VIRO EGREGIO,

JACOBO MORELLIO,

S. P. D.

DAVID RUHNKENIUS.

Dici non potest, quantum taedii et molestiae mihi attulerit navigationis hoc anno instituendae tarditas. Jam sub finem superioris anni parata erant munera tibi mittenda, sed, ob instantem hiemem, nulla navis, quae Venetias iret, reperiebatur. Ita tempus vernum exspectandum erat. Tum quidem reperi Christianum Vismannum ad vos profecturum, cujus scriptum, quod nostri *reconnoissement* dicunt, huic epistolae adjeci. Sed res, me indignante, tracta est usque ad mensem Majum. Fasciculus autem tibi inscriptus haec continet: Mureti Opera Omnia, Timaei Lexicon Platonicum, Elogium Hemsterhusii, Appulejum Oudendorpii, Obs. Misc. Dorvillii vol. IX, alterum exemplum Timaei. Quibus Santenius noster adjecit partem Terentiani Mauri et Burmanni Praefationem in Ovidium. Appulejum tibi misi, ut, quod pro me expendisti in Miscellanea Lazeri et Vitam Ri-

chardi, hac ratione tibi redderem. Miscell. Observ. et alterum Timaei exemplar Cl. Marinio tuo meo nomine dabis. Fasciculo tibi destinato inclusus est alter Cl. Spalletio inscriptus, quem, nisi grave est, Romam mittendum curabis. In quo vereor, ne plus oneris tibi imposuerim, quam facere debebam. De luculentâ Codicum accessione, quae Bibliothecae vestrae facta est, tibi impense gratulor. Videas, quaeso, an Plato, de quo ad Cl. Santenium scripsisti, plura Scholia habeat, quam Codices, quos ipse excussi. Mei ferme deficiunt in secundo libro Legum, et in Timaeo et Critiâ valde sunt jejuni. Viri tui amantissimi, Wyttenbachius et Santenius, te multum salvere jubent. Vale, vir optime, et mihi amorem tuum conserva. Dab. Lugd. Bat. d. 15 Maji 1790.

TESTIMONIUM.

LECTURIS

S.

Quod viatoribus accidere solet, ut, si forte surrexerint serius, quam urgens iter postulabat, properando etiam citius, quo velint, perveniant, quam si ante galli cantum surrexissent: idem evenit eximio juveni N. N. Qui quum non ingenium suum, sed aliorum auctoritatem secutus, triennium in Academiâ Medicinâ discendâ consumsisset, eâ relictâ ad pristinos amores suos, id est, ad Literas Graecas Latinasque rediit, et temporis, quod Medicinae dederat, jacturam tam ardenti studio reparavit, ut alios idem curriculum, sine tali interpellatione, decurrentes longo post se intervallo relinqueret. Quo libentius ei laudem excellentis eruditionis impertio, et felices praedico juvenes, ejus disciplinâ usuros.

Dab. Leidae d. 16 Oct. 1792.

DAVID RUHNKENIUS.